COMMENTATIO

DE PETRONII POEMATE DE BELLO CIVILI,

QUAM

EX AUCTORITATE ORDINIS PHILOSOPHORUM AMPLISSIMI

IN ACADEMIA VRATISLAVIENSI

AD SUMMOS PHILOSOPHIAE HONORES

RITE ADIPISCENDOS

D. XXVII M. MAII A. MDCCCXXXXII

H. L. Q. C.

PUBLICE DEFENDET

IUSTINUS GUMAL MOESSLER,
SEMIN. PHILOL. NUPER SODALIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSTINEBUNT

LAURENT. MEINOLPHUS MUELLER, DR. PHILOS.,
EMANUEL TEUBER, SEMIN. PHILOL. NUPER SODALIS,
IULIUS RESLER, SEMIN. PHILOL. SODALIS.

VRATISLAVIAE,
TYPIS GRASSII, BARTHII ET SOCII.

CHRISTOPHORO GUILELMO MOESSLERO,

THEOL. ET PHILOS. DR.,

SUPERINTENDENTI REGIO DIOECESIS I. GORLITIENSIS,
ECCLESIAE GORLIT. PASTORI PRIMARIO,

PIETAS FILII.

Petronii in fragmentis quod invenitur de bello civili poema, quum propter magnam, quam praefatione ipsi addita praestantiae suae commovet expectationem lectoris animum advertat, tum alia de caussa, et ea multo graviori, dignum videtur esse, in quod etiam accuratissime inquiratur. Nam Caesaris bellum cum Pompeio gestum, ut rerum scriptoribus aeterna est materies, ita poetis non potuit non temporaria esse. Historici enim veritati, quae una est, et vetustatem fert, hi scribunt delectationi, quae variat cum tempore. Ac, quem omnes norunt carmine res illas tractasse, M. Annaeus Lucanus eius aetatis fuit, qua recens erat belli civilis memoria, recordatio non iniucunda. Neque gestum tum quidquam erat ab illo bello, quod magnitudinem eius aequaret, nedum superaret, sed, pace immota aut modice lacessita, quae bello erant parta bona malave vigebant. Quae quum ita sint, Petronianum de bello civili poema consentaneum est et ipsum in eam incidere aetatem, quae hoc ab argumento non aliena fuerit. Atqui non tam propter illecebras argumenti, quam ut exemplum esset, quo mali poetae docerentur et castigarentur, scriptum hoc poema ex ipsa illa praefatione cognoscitur. Ita fit, ut, si verum sit, quod multi viri docti censuerunt, Lucanum de Pharsalia sua hoc poemate castigatum esse, castigatorem Lucano aequalem fuisse aetate certe suspicari liceat. Anquirendum igitur nobis sumpsimus, non tantum, num sit Lucanus hoc poemate castigatus, sed etiam, num forte ea castigatio ita comparata sit, ut probabilis inde de castigatoris *aetate et persona* fieri queat coniectura.

§ 1.

Personarum, quas fabulae suae Petronius esse voluit non ultimam gerit Eumolpus. Is dictus a carminis laude quam affectaret summam, c. 118 (ed. Anton.) in memoriam suae poetas malos invehitur, quidque ad bonum requiratur carmen exponit. „Quippe multos esse, qui teneriori quaque „quam versibus pertexuerint, sententia ad poetas se evectos „putent. Sic forensibus ministeriis exercitatos frequenter ad „carminis tranquillitatem, tamquam ad portum faciliorem, re„fugisse, credentes facilius poema extrui posse, quam con„troversiam, quae vibrantibus esset sententiolis exornanda. At „nullum a foro ad poesim patere aditum, nec generosiorem „quidem spiritum sanitatis[1]) amantem esse, nec concipere aut „edere partum mentem posse, nisi ingenti flumine litterarum „inundatam. Ceterum id quoque cavendum esse, ne verbis „ex trivio petitis quae Musarum sint sacra profanentur. Inae„quabilem vero orationis varietatem, ex sententiis male inte„tis oriundam, Homeri et Lyricorum Romanique Virgilii et „Horatii exemplis, quae una sint sequenda, reprobari. Ce„teros enim poetas iusta qua carmina conderentur rationem „aut ignorasse, aut, si nossent, tamquam difficiliorem expa„visse. Itaque belli civilis ingens opus quisquis attigerit, nisi „plenus sit litteris, sub onere esse lapsurum. Non enim res „gestas versibus comprehendendas esse, quod longe melius „historici faciant, sed per ambages deorumque ministeria „et fabulosum sententiarum tormentum praecipitandum esse „liberum spiritum, ut potius furentis animi vaticinatio appa„reat, quam religiosae orationis sub testibus fides.“ Quibus sic expositis suum Eumolpus poema de bello civili pro specimine subiungit. Sed ante, quam dicamus de hoc, diligentius illa videntur excutienda, quae praefationis iam loco praemissa intelleximus.

---

[1]) *Sanitatem* interpretor eam, quae non est insania (Horat. C. 3, 4, 6) seu poeticus furor, ergo proprietatem illam controversiarum, qua omnia ad rationem exiguntur. Sciendum est autem *vanitatem,* quod editiones offerunt *sola in coniectura* niti.

Igitur non omnes auctor, quiqui erant, poetas malos, sed dumtaxat eos perstringit, qui forensibus ab actionibus ad poeticam se applicuerint. Carminis namque contexendi, quam vulgus iactaret, facilitatem quum alios, tum caussidicos ait permosse, ut lites aversati cum Musis contraherent. Atqui difficillimum esse forensi ex homine non malum evadere poetam, immo ex foro fieri non posse quin pessimi quique poetae prodeant. Illic enim quum nisi deliberando aut expendendo non agatur, deprimi animum et exarescere, quem luxuriare in poesi vaticinantisque in furorem assurgere; illic litteras iacere, hic plurimum pollere; illic verborum delectum haberi nullum, hic curatissimum; illic immodico saepe tumore orationem turgescere, hic teretem esse et rotundam. Ecce auctoris ars, qua ita de poesi praecipit, ut forensia usque respiciat studia. Quippe haec et poetica it probatum inter se contraria esse. Itaque non plena est eius aut iusta de poetica arte institutio, qua nemo non fieri queat poeta, sed satis habuit ea tetigisse vitia, quibus ex foro qui transisset ad Musas praecipue obnoxius esset. Sed circumspicientibus, quos hoc loco probabile sit notari, non certa quaedam nomina erunt aucupanda, sed acquiescendum in universo isto poetarum grege, sicuti in conspectum est datus [2]). Nam quum educationem, quae Romanorum erat, in vulgus sit notum fere omnem forensi vitae prospexisse, tum constat, quanta ex rhetorum scholis poesi post Augustanum aevum enata sit labes. Quam auctor labem hic significat, morem aevi sui, quod ipsa hac significatione cognoscimus Augustano inferius esse, increpans. Atque haec generalis est praefationis pars, in speciali id agitur, ut civili canendo bello impar demonstretur esse, qui litterarum sacris non initiatus, sed recens a foro sit. Hoc enim modo supplendam esse auctoris sententiam, et orationis docet contextus, et illitterati qui supra audierunt caussidici. Litteras autem loquitur auctor non historicas, verum eas,

---

[2]) Cecinit ex nostratibus quidam:

„es waren die Auscultatoren
„Und die geehrten Herrn Referendarii
„Allzeit die wärmsten Förderer der Poesie."

quae ad mythologiam spectant. Quibus heroicum carmen ita exornandum esse, ut quod aggressus sis argumentum fabularum quasi stamine deducas, resque humanas omnes deorum iubeas numini parere. Exprimendum enim esse vaticinantis furorem, quem conspici in eo, ut quae acta sint non quemadmodum ab hominibus sint acta enarrentur, sed praesagiantur tamquam a diis decreta. His igitur in studiis qui poeticae omne momentum verti existimaret, eum patet facere non potuisse, quin forenses ab ea arceret.

Iam auctor qua scripserit mente, quidve consecuturus, restat ut indagetur. Quem negari primum non potest, afflictam, quae poesis post Augustanum aevum erat, conditionem probe perspexisse, atque huius labis quas putaret caussas indicasse. Tamen hac in re qui terminatum ei scribendi finem opinetur frustra sit. Omnia enim, quaecunque dixit, non alia de caussa dixit, nisi ut ipsius poemati de bello civili proluderent. Quod poema pro exemplo esse voluit, quo ratio, qua eiusmodi argumentum tractari deberet, cognosceretur. Ac, qua indole erat aevum eius, potuit quidem vereri, ne, si cantaretur illud bellum, male cantaretur. Quapropter eo scripsisse consilio videri queat, ut, qui cantaturi essent, iis veluti modos praeiret: cum qua sententia nemo non videt illa eius verba *quisquis attigerit, labetur* plane bene concordare. At quum alias idem non occurrerit futuris, sed praesentia quae urgerent vitia qualiacunque exploserit, nihil hic dubitamus, quin, aliquem dicens lapsurum, lapsum quendam cogitarit. Quid, quod continuo eam poematis mali imaginem adumbrat, quam veri sit similius ad certum quoddam exemplum, quam poetae quem finxerit ex mente eum expressisse? Itaque quem dicamus de foro hominem eundemque belli civilis poetam hic reprehendi iam declarandum.

§. 2.

Romanorum poetarum, quos quidem aliquo modo norimus, duo Caesaris et Pompeii bellum versibus persecuti sunt. Quorum alterum Cottam cum Pharsalico, quod scripserit, bello *demum Apuleius* memorat in fragm. de orthogr. §. 3, alter est

Lucanus ille. Sed Cotta ut fuerit a Petronio notatus, tamen non potest demonstrari, utpote qui parum adhuc innotuerit. Quocirca hunc ampliemus, dum, Lucani caussa peracta, aut revocandus sit aut dimittendus. Sunt autem tres loci, quibus illius caussa continetur, quos deinceps nunc explicaturi sumus.

Primum si aliquis, potuit Lucanus forensibus a ministeriis ad carmina se rettulisse dici. Id utrisque ex vitis eius elucet. Quarum quae commentarii est vetusti planum et apertum dat testimonium[3]), tectius quae Suetonii vulgo creditur. Quamvis enim Suetonius nisi merum et natum poetam non agnoscere Lucanum videatur, tamen quem Athenis dicit commoratum et honoratum esse quaestura haud scio an declamatoriam quoque egisse vitam licitum sit sumere. Sed etiamsi hic scriptor nos destituerit, inde illius non efficitur fidem sublestam esse. Inter utrumque enim hoc interest, quod Lucani alter universam vitam, alter poetica tantum studia enarravit.

Deinde Pharsalia sua tantum abest ut furentis animi vaticinationem Lucanus expresserit, ut religiosae, qualis sub testibus est, orationis fidem praestiterit. Quibus Petronius verbis illius simul actiones forenses et poematis descripsit indolem. Idque tam recte, ut qui lectitarit Pharsaliam vix aliter possit sentire[4]). In qua quam nihil non ad rerum gestarum normam directum sit, uno iuvat exemplo cognoscere, eo, quo facile quis abusus nos impugnet. Non abstinuit enim Lucanus a vaticiniis, non abstinuit a praesagiis aut visionibus. Sic 1, 678 sqq. matronam quandam numine facit afflatam et, ipse quae deinceps est expositurus, divinantem; sic 3, 12 sqq. Iuliae manes interitum Pompeio praesagiunt; sic 7, 151 sqq. portenditur quae imminet clades Pharsalica; sic aliis locis alia vaticinia leguntur. Quae si, ut pauca sunt, ita essent plurima,

---

3) Dico praecipue haec verba: *interdictum est* (Lucano a Nerone) *etiam caussarum actionibus.*

4) Quintiliani de Lucano iudicium notum est, Servius vero in Virg. Aen. 1, 386 *Lucanus*, inquit, *ideo in numero poetarum esse non meruit, quia videtur historiam composuisse, non poema.* Adde eis illos, quos *Martialis loquitur 14, 194, 1.*

tamen persuadere nobis non possent, ut exemptum Petronii notae Lucanum iudicaremus. Aliud est enim, hic illic intermiscere rebus narrandis vaticinia, aliud, quae gesta sunt omnia una comprehendere et continua vaticinatione. Illud qui fecerit scriptor non modo non vatis meruit laudem, sed etiam de superstitione est postulandus; hoc quale sit, exemplo Petronius docuit [5]).

Ita pervenimus ad tertium, qui disquisitionis erat nostrae, locum, quo Lucani, quem exagitaret, Pharsaliam in componendo suo poemate Petronium spectasse demonstrandum est. Quae res ne nobis non succedat, ante omnia hoc oportet agamus, ut Petronii poema ex se ipso consideremus. Ad quam nobis considerationem brevis haec enarratio poematis viam muniat.

§. 3.

Toto terrarum orbe subacto nimis quidem opum Romanis, sed tamen non erat satis. Novis inhiantes praedis extimas quasque nationes ferro rimati sunt,

fatisque in tristia bella paratis
7 *Quaerebantur opes.*

Atque efflagitabat opes *luxuria*, quae divitiarum cum strue succreverat, tum virium erat in flore. Neque illa se coercuit lues privata vita, quam occuparet totam, sed *avaritiam*, ut fere fit, enixa publicae quoque incessit. Unde quam domi

Non minor in campo furor est, emptique Quirites
40 *Ad praedam strepitumque lucri suffragia vertunt.*
Venalis populus, venalis curia patrum.

Talis igitur res publica evasit, in qua ius nihil, omnia esset aurum. Hoc vero rege quae civitas stet?

Quare tam perdita Roma
50 *Ipsa sui merces erat et sine vindice praeda.*

---

5) Perfunctorie adhuc disputavimus et obiter, re id quidem nos nostra iubente. Nam etsi a praefatione illa ordiri debuimus, tamen accurate de eadem explicare non possumus ante, quam progressi simus quadamtenus in disputando.

At vitam quae emolliverat et animis in avaritiam fractis antiquam quamque virtutem stirpitus evellerat, eadem, ut assolet, luxuria progenuit *inopiam*. Cuius quum remedium nisi a nova quae caperetur praeda expectari posse videretur nullum, iam

Arma placent miseris, detritaque commoda luxu 56
Vulneribus reparantur.

Sic bellum exortum est civile, quod fieri non potuit quin exoriretur. Namque

Hoc mersam coeno Romam somnoque iacentem
Quae poterant artes sana ratione movere, 59
Ni furor et bellum ferroque excita libido?

Is sententiarum est nexus, quo versus sexaginta primi continentur. Exinde tristis et horroris plena camporum Phlegraeorum imago ante oculos nobis proponitur. Hic loci Dis erumpit, caput favilla, pectus ira sparsus. Is caedem spirans Fortunam in Romanos it instigatum. Tu, inquit, quae varia es, nec certo scis loco perstare, nonne Romanae sentis potentiae eam extitisse molem, cuius nequeas ruinam morari? Suas ipsi vires Romani conficiunt, ac dilabi quas struxerunt opes patiuntur. Eo luxuriae enim processerunt, ut rerum ordinem turbent, naturamque cogant ipsorum voluptatibus servire. Quin etiam mea petunt regna, dum aedium vel ponunt fundamenta, vel ornamenta quaerunt.

Quare, age, Fors, muta pacatum in proelia vultum,
Romanosque cie, ac nostris da funera regnis. 95

Haec infernus rex. Neque non audiit Fortuna, animi et ipsa, ut fatetur, a Romanis aversa. Nam poenitere se, quibus hos auxisset, munerum, neque commissuram, ut damna luxu facta sarciret. Immo, quem conditorem tantae opulentiae delegisset, eundem se Martem immissuram esse eversorem. Obversari iam oculis strages, armis personare aures. Proinde sua Dis limina panderet, apparatam Charon haberet cymbam. Cymbam? immo classe opus fore, qua cruenta haec messis convectaretur. — Fortuna vero conspirante cum Dite quis certior est exitii sponsor? Itaque postremum omnium, quae civitatem invadere possunt, malorum, civile bellum, Romanis *non potuit non oboriri.* Quid, quod Diespiter ipse fulmine

illud foedus sanxit? quod coelites omnes necessitati illi fatali concessere? Nam simul ut Ditis in sententiam ivit Fortuna,

126 *Continuo clades hominum venturaque damna*
Auspiciis patuere deum.

Sol deficit et luna, montes cum fragore rumpuntur, flumina exarescunt, bellico aether tumultu percrepat, flammis stat Aetna. Ad haec tumulos inter obambulare umbrae atque horrendum stridere, effulgere sidus cometes, denique sanguinem pluere. Nec tamen haec prodigia quas portenderent clades mortalibus diu latuit.

Exuit omnes
142 *Quippe moras Caesar, vindictaeque actus amore*
Gallica proiecit, civilia sustulit arma.

Is Graiis de Alpibus in patriam, cui facturus est bellum, prospiciens et huius et Iovis deprecatur invidiam. Nam lacessitum summa, qua affici quis possit, iniuria non fratribus se germanis arma intentare, sed ab insiticia et degeneri Romae subole ultionem petere. Cui sic locuto deus annuit, iamque

183 *Fortior ominibus movit Mavortia signa*
Caesar,

nequicquam ei rerum natura obluctante. Interim Romam pervolat Fama, Cisalpinarum rerum nuntia. Actutum in urbe omnes trepidare, alius aliud velle, plurimi in fugam se coniicere. Et fugit pro pudor!

gemino cum consule Magnus,
Ille tremor Ponti, saevique repressor Hydaspis,
240 *Et piratarum scopulus, modo quem ter ovantem*
Iuppiter horruerat.

Ita rebus ad vim spectantibus

247 *Mitis turba deum terras exosa furentes*
Deserit, atque hominum damnatum avertitur agmen.

Prima se fugae dat Pax, comites eam consequuntur Fides cum Iustitia et Concordia. Hae omnes ex terra in Orcum pergunt, quietis iam placatissimae sedem. Nam emersae hinc terram occupant Erinnys, Bellona, Megaera, Letum, Insidiae, Mors, Furor, Discordia. Ac Discordia in summo stans Appennino

Unde omnes terras atque omnia littora posset 280
Adspicere ac toto fluitantes orbe catervas,

totam Italiam ad intestinum bellum concitat. Quin confligite, inquit, quaqua estis aetate et sexu, quin mutuis inter vos confligite armis. Ne decede tu, Marcelle, a decretis in Caesarem factis, instiga tu, Curio, plebem in optimates, bellum civile tu, Lentule, noli cohibere. Te, Caesar, quid impedit, ne conseras pugnam? Cur oppida non irrumpis aut diripis? At Pompei, qui arces desperaveris et eas quidem Romanas, Epidamnum te confer,

Thessalicosque sinus humano sanguine tinge. 294

Haec Discordia; versu, qui sequitur,

Factum est in terris quidquid Discordia iussit

poema determinatur.

Hanc poematis enarrationem si quis cum ipso poemate contulerit, is duos nos locos notabiliores reperiet omisisse. De utrisque iam dicemus, ita ut alia quaedam, quae ab hac, quam instituturi sumus, disputatione non abhorrere visa sint, interponamus.

§ 4.

Igitur postquam poeta, perditos Romanorum mores et conceptam inde rei publicae noxam describens, eo pervenit, ut exclamarit: *Hoc mersam coeno* etc., sic pergit:

Tres tulerat Fortuna duces, quos obruit omnes
Armorum strue diversa feralis Erinnys.
Crassum Parthus habet, Libyco iacet aequore Magnus,
Iulius ingratam perfudit sanguine Romam.
Et quasi non posset tot tellus ferre sepulcra, 65
Divisit cineres. Hos gloria reddit honores.

Hi versus, ut faciles ad interpretandum sunt, ita hic sibi quid velint, non perspicio. *Duces* intelligendos esse civilis belli, ex iis, quae antecedunt, conieceris. Ibi etenim quum Romam poeta in perniciosissima quaeque vitia lapsam, rerumque incuria suarum torpentem, ex veterno hoc negaverit potuisse excitari, *nisi* excitato bello civili, iam duces a Fortuna datos

consequitur, ut huius ipsius dixerit belli, quod excitatum esse significaverat. Nec inepte idem civilis belli fecerit duces ab Erinnye perditos. Nam huius nomen, non Enyus, quum propter codices, quamquam non Bernensem[6]), tum etiam propter Caesaris necem est assumendum. At vero quid Crasso cum civili bello? Cuius in caussis is mortuus, (cf. Lucan. 1, 99 sqq.) non vivus in ducibus poterat censeri. Quocirca de potentiae illa societate, quam tres hi viri inierint, auctor necesse est cogitaverit. Nam uno omnes nomine et loco habentur; ad unam omnes gloriam contendunt; una denique omnes Erinnys perdit. Nec ulla aut simultatis, qua inter se omnes obtrectabant, aut inimicitiarum adsunt indicia earum, quas Caesari et Pompeio bellum conflasse scimus. Est enim, quam referunt sex illi versus, sententia haec: *tres illi, qui rei publicae regundae extiterunt socii, cuncti quidem morte ab Erinnye sunt mulctati, sed alius alia in terrarum parte. Gloria igitur, quam secuti erant, hos iis reddidit honores, ut orbem terrarum dispertiret sepeliendis.*

Verum non solum manifesta est, quae versibus illis de triumviratu fit mentio, sed etiam, quod strictim iam attigimus, ab hoc loco prorsus abhorret. Nam illud si volebat auctor foedus ad civile bellum trahere, debebat id ita facere, ut huius inde semina quaedam derivaret. Itaque de Crasso et Pompeio cum Caesare iunctis ibi eum dicere oportebat, ubi civilis belli persecutus est caussas. Deinde (nam locum mutasse vix suffecerit) ea adhibenda erat oratio, qua triumviratum inter et civile bellum aliqui nexus efficeretur. Neutrum poeta praestitit, qui de Crasso ad intestinum hoc bellum adsciscendo omnino non cogitans, id egerit unum, ut trium illorum mortes cum aculeo quodam exponeret. Qui aculeus ut perspiciatur totus, audire placet Martialem 5, 74:

Pompeios iuvenes Asia atque Europa, sed ipsum
Terra tegit Libyes, si tamen ulla tegit.
Quid mirum toto si spargitur orbe? iacere
Uno non poterat tanta ruina loco.

---

6) Bernensi codice ut uti nobis liceat, effecerunt *Io. Casp. Orellii lectiones Petronianae,* indici scholarum, in academia Turicensi per aestatem anni 1836 habendarum, praemissae.

Ecce sententia prorsus Petroniana, Petronii vero epigrammatica, ut quae maxime. Nec videbimur iam nobis temeritatis posse interrogari, si Petronii versus ex poematis corpore, quod deformant, resectos [7]) eos iusserimus esse, quos esse cognovimus, *epigramma in triumviros scriptum.* Quod quomodo in alienum hunc locum illatum sit, in medio nunc relinquimus, esse illatum contenti demonstrasse. Neque ab eo nostrae timemus caussae, qui lacuna fretus, quae Memmiano in codice ante versus a nobis eiectos esse dicitur, hos ipsos ausit vindicare. Utcunque enim coniectando lacuna illa expleatur, versibus his, quae eorum est integritas sententiarum, nec offensionis aliquid demi, nec addi potest insinuationis.

§ 5.

Sed propius re inspecta ne reperias quidem, quod hic et ceteris huius poematis locis, ubi lacunas exhibere Memmia-

---

7) Ut hi versus adhuc nemini in suspicionem venerunt, ita Burmannus in recensendo versu 135 ex iis videtur pependisse. Nam quum ibi sic scribendum coniiciat,

et tuba Mortem
Sideribus tribus acta ciet,

et sideribus tribus tres illos viros significatos velit, patet eum in hac opinione fuisse, ut triumviratum in caussis belli civilis a poeta relatum putaret. Quam opinionem ipsum perperam interpretatis his versibus concepisse arbitramur. Atque ut esset illa ratione de triumviratu memoratum, utque quod Burmanno debet obversatum esse in ipsius verbis inesset, *a tribus coeli partibus tubas insonuisse:* num poeta, quum eas res explicaret, quibus destinatum a Fortuna bellum intestinum dii Romanis portendi voluissent, in iis rebus explicandis caussas belli portendi facere potuit? — Duo potuit sidera facere, a quibus tubae exauditae essent: quo bellaturi inter se Caesar et Pompeius significarentur. Non itaque ego in Burmanni illo commento assequor quid acuminis Wernsdorfio visum sit; erat Burmannus etiam propterea reprehendendus, quod caussae suae tuendae alienissimum quiddam adhibuisset, illud Flori: *tribus, ut sic dixerim, sideribus agitatum est;* (3, 21) poetae vero id existimo esse, quod praeterquam in aliis libris in Bernensi quoque extat,

et tuba Martem
Sideribus tremefacta ciet.

Tremulus est enim tubarum cantus, atque intremuere tubae in hoc ipso poe-

nus codex creditus est, excidisse conicias. Quos enim eiecimus versus per se ipsi sunt clari, neque aliud quidquam iis auctor nisi inscriptionem addiderit; prorsus nihil vero illis, qui hos antecedunt, deesse, id, si cui nunc minus perspicuum sit, certe ex disputatione longius producta apparebit. Quid autem, quaeso, interpositum inter versus velis 237 et 238? Potius de ea ibi vacuitate chartae cogitandum, qua oratio in partes suas divisa sit. Quod idem de tertia, quam loquuntur, lacuna valet, utpote quae nihil sit aliud, nisi narrationis ad aliud quid versu 245 progressae index. Atque hoc quidem loco mireris interpretes, quod, quum de ceteris lacunis Memmianis nihil diffiderent, hanc adeo neglexerint, ut, inter quos ea est, versus 244 et 245 aut artissime inter se aptos, aut indigos emendationis censerent. Ab illa stans Antonius parte *quia*, inquit, *poeta dixerat*, *Fortuna vidit terga Pompeii*, *iam*, *transitum sibi ad deorum fugam describendam parans*, *interrogat*: *ergo haec pestis adeo vidit numina*, *i. e. huic pesti adeo dii interfuerunt?* Alteri vero interpretum, quo *ergo* illud referrent non habentes, non, ut expectaveris, in lacunam correpserunt, sed censuerunt vocem quam explicare non possent explodendam. Quod quum optime videretur Gulielmo successisse, in huius *tergo* praeter unum omnes acquieverunt. Is unus est Gerard Tiaard Suringar[8]), qui, *tergo aliquem videre* num idem quod fugientem videre esse possit addubitans, neque illud non improbans, quod tergum dicatur pluribus diis tribuisse, qui uni Pompeio tribuerit terga, sic voluit scriptum: *Terga dare ante alios divum quoque numina vidit.* — Horum commentarum non negamus id quod Antonii est habere, quo arrideat, praesertim ei, qui primum intuitus sit, sed diligentius ambo versus examinanti vix probabitur. Namque ex una ut taceam de reliquis fieri deabus argumentationem non idoneam, aliter liquet Fortunam, aliter illas

---

mate v. 271. Accedit, quod reliqui codices, aut *timefacta* habentes, aut *tumefacta,* aut *trinis acta, tremefacta* omnes prae se ferunt.

8) Adiunxit se is Suringar Petronii criticis exiguo non magis quam exili libello, qui inscribitur: Spicilegia critica ad Petronii carmen de bello civili. Lingae 1812.

deas fugae interfuisse. Sed nihilo tamen secius *ergo*, cuius constat eum usum esse, ut ad antecedentia referatur, non ineptum est, dummodo ne ad ea, quae reapse antecedunt, referatur. Poeta enim, quum, quas narraturus erat fugisse, fuga ablatae ante animum ei obversarentur, hanc ipsi non infectam fugam eadem existimandus est animi commotione respexisse, ex qua Horatianum illud est: *ergo Quinctilium perpetuus sopor urget?* (Carm. 1, 24, 5) et Ovidii, quo secundam tertii Tristium libri elegiam inchoavit: *ergo erat in fatis Scythiam quoque visere nostris?* — Sed quo tres valere lacunas Memmianas vidimus, ut quasi quidam limites orationem secent, eodem mirum sit, ni valeat quarta, reperta illa post versum 12. Ac profecto qui sequitur versus et exorditur quandam narrationis partem, neque quae antecedunt quin integra esse putentur recusat. De exordiente quidem nemo quisquam ambigat; hoc posterius vero quod attinet, cladium ego significationem non sane intelligo quo modo in *despoliaverat* verbo non insit. Despoliaverat enim arva sua Arabs a milite Romano coactus. Et eidem cedentes necessitati vellera Numidae et Seres *accurabant*, i. e. curiose ac diligenter apportabant. Hanc vero barbaris illatam a Romanis vim, ut recentiores interpretes non adverterunt, ita antiquus aliqui lector et ipse non attendens nescio an huic accurandi verbo illud, quod in uno est codice, *accusative*, appinxerit, quippe significans, quod laudis sit potius, quam vituperationis verbum, eodem hic male sedulam in adiuvanda Romanorum luxurie curam notari. Quod sic adiectum verbum quum scripturae illa deinceps peperit monstra, tum, quod vellem non subditicium esset, *accusant*.

Haec fere est nostra de lacunis illis Memmianis sententia. Cui sententiae, nisi quid me fallit, vehementer illud suffragatur, quod praeterea sunt, quae interpolatum hunc codicem testentur. An 210 versu quod reliqui habent codices omnes, *volucer*[9]), indoctis velis librariis exprobratum, non

---

[9]) Alios, qui hunc archaismum reciperent, locos, praeter c. 131. §. 8. v. 6, repperi nullos. Ibi tamen utrum *silvester* an *silvestris aedon scribendum sit*, equidem ego dubito. Pro hoc quidem solos duos libros, Memmia-

grammatico alicui *volucris?* Quem eundem *ac* in *aut* mutasse versu reperies 198. Ac 181 versu *laetior* quis non videt ad superiora illa *omina laeta* esse confictum? Nec minus *illa* v. 226 unde sit apparet. Nimirum maternos Memmianus homo amplexus cogitans in verbo *ille* offendit. Capite autem 127, (nam placet his exemplis, quum alia sint multa, unum alterumve ex reliqua addi satira) idem igitur c. 127 §. 4 quum *quidni*, quam haberet vim, non perspiceret, scripsit *quid*, planiorem sane efficiens orationem, sed omnem ei festivitatem non aliter detergens, quam latinitatem §. 6. Ibi etenim quin Romano homini id quod in ceteris est codicibus, *dum placet*, scribendum fuerit, nemo unus hodie dubitet, frustraque, puto, Antonius cum Dousa a Memmiano stant *dum placuit*. Neque quam hoc, magis quisquam illud probet, quod paulo inferius nobis c. 132 §. 7 offertur, *salvo honore:* quo facile patet locutionem *salvo pudore* ab eo esse redditam, qui pudorem acciperet eum, quem Plinius dicit Epist. 2, 4: *debes famam defuncti pudoremque suscipere*, et eiusdem libri 9: *meus pudor, mea existimatio, mea dignitas in discrimen adducitur.*

Iam ex his, quae super libro Memmiano disputavimus, quum nihil eum illi, quam agebamus, caussae adversari appareat, tum vero hoc efficitur, multa in utendo eo opus esse cautione. Qua adhibita non diffidimus magno eum usui esse posse ad restituendam scriptoris manum. Quid enim, quod hic illic ea praebet, quae nisi ad ipsum scriptorem referri non posse videantur? Cuius generis haec habeto exempla: c. 15 §. 3: *in controversiam esse*, c. 18 §. 1: *gannitibus*, c. 131 §. 8 v. 8: *iura*. De primo loco, non consentaneum est iure consultos Petronium introducentem ac ridentem *in controversia esse* scripsisse, usu communi et quasi quodam exoterico; ad *gannitus* autem quod attinet et *iura*, neque mendum libra-

---

num hunc et Leidensem, putarunt esse, sed sunt, nisi me fallit, ii omnes, qui *silvester hiasdon* praebent, ac Bernensis etiam, quippe in quo hoc sit: *silvesteris don.* Possit autem *silvester* ab eo esse confictum, qui vel graece nesciens, vel non intelligens, quae res ageretur, marem circumspiceret adiunctae femellae urbanae. Neque hoc obsoleti verbi et novi coniugium, (nam videtur aedonis verbum Neronianae esse aetatis) hoc igitur tale coniugium *nescio num ab hoc poeta non alienum sit.*

rii est hoc, neque illud ineptum. Utramque rem breviter exponam. Lacrimans quaedam in Memmiano libro *gannitibus*, in reliquis proditur *gemitibus* esse concussa. Horum verborum utrum suspicionem haberet interpretamenti, non puto quemquam editorum fugisse: sed repudiati sunt gannitus, quia essent lascivientium. Verum id illi quam praeiudicatum huc attulerint, vel ex uno hoc Plinii loco (H. N. 9, 5 ed. Dalechamp.) potest intelligi: *haec* (Nereis) *in eodem spectata litore est, cuius morientis etiam gannitum tristem accolae audivere longe.* — Tristem vero. Nam ganniendi verbo ipsi neque aliquid triste subiectum est, neque aliquid laetum aut lascivum, sed proprie de voce dicebatur canina atque ea quidem omni, ut Nonius docet 6, 10: *gannire quum sit proprie canum, Varro asinos rudere, canes gannire, pullos pipare dixit*[10]). Deinde per despicientiam quandam ad humanam vocem traductum hanc aut a sono, aut a dictis cum canina exaequat. Dictorum sic factam censuram pete sis ex Mart. 5, 60 et ex Plaut. Amphitr. 5, 2, 25[11]), vocis ipsius exhibet Iuvenalis 6, 64. Ac Iuvenalis quidem, ut mea fert sententia, non quam declararet lascivientem vel subantem, gannire Appulam illam dixit, sed potius, quia quae subantium sunt voces non dissimiles esse latratibus, i. e. concisas, quaeque sonis rumperentur singultatis, noverat. Atqui singultus, si quorum sunt, certe sunt plorantium: qui, si concutiuntur, certe singultibus concutiuntur. Quid est ergo, quod obstet, quin abiectissimae singultus mulierculae eodem Petronius vocabulo

---

[10]) Parum circumspecte Festus vel Verrius Flaccus *gannitio*, ait, *canum querula murmuratio.* Nec magis probo, quod Dacierus hoc ganniendi verbum ex graeco γάνυσθαι ductum censuit. Est gannire aeque ad voces bestiae fictum atque hinnire. Ex quo ut deinde hinnus nominatus est, (Colum. 6, 37: *qui ex equo et asina concepti generantur, quamvis a patre nomen traxerint, quod hinni vocantur, matri per omnia magis similes sunt*) ita canis ex illo.

[11]) Potest Plautini loci etiam is esse usus, ut ad primigeniam verbi significationem cognoscendam adhibeatur. Facile est enim videre, Sosiam eo, quod Blepharoni *oggannis* dicenti *nec gannio nec latro* respondeat, translatum a Blepharone verbum in proprium eius ac naturalem locum restituere.

nominaverit, quo Plinius Nereidis bestiolae? — Pervenimus ad *iurum* verbum, exulans illud simul cum multa Venere ex carmine ne nunc quidem non venusto. Locus ibi quidam amoenissima vestitus opacitate, rivo inter arbores cum murmure placido praeterlabente, dignus amore appellatur. Cuius dignitatis testes cum aedone Procne proferuntur his verbis:

Dignus amore locus: testis silvestris aedon
Atque urbana Procne, quae, circum gramina fusae
Et molles violas, cantu sua rura colebant.

Pro *rura*, quod, in plurimis, ut videtur, codd. inventum, ab editoribus receptum est omnibus, (a Wernsdorfio quidem P. L. M. t. VI. sect. 1 p. 184) quattuor libri, in quibus est Bernensis, *sura* offerunt, aut ut solidum verbum, aut ut partem antecedentis *sua*. Unus Memmianus codex habet *iura*. Horum verborum id quod secundo loco posuimus prorsus abiicimus, disputatione, ut par est, intra sua se iura et rura continente. Itaque ad rusticulae caussae patronos quod attinet, vel uno hos verbo *sua* confutare est. Id enim, quum alia atque amoenum illum locum esse rura indicet, non modo turbat rationem poetae, sed etiam evertit. Qui si rura volebat ab avibus illis culta, potuit ea quidem velle quodammodo, verum non alia ulla, nisi illa, quae amore digna probaturus erat. Debebat igitur *sua* aut omittere prorsus, aut praemisso *haec* huic pervium reddere interpretationi: *ut sua, i. e. ut ea, quae ipsis essent accepta, rura aves illae cantu colebant.* Neutrum vero fecit, quippe melius quid moliens, id, ut, quibus testantibus hortulos illos ad amandum vinceret idoneos, has amori ibi litantes, rectissima quidem ratiocinatione usus, faceret. Sequens igitur fabulam antiquam, quae ipsa ei Procnes nomen suppeditaverat, alites illas iura sua coluisse dixit, i. e. fruitas esse iis iuribus, quibus Tereus iis invidisset, mutuis sororii amoris blanditiis. Quo amore quam esse iunctas ac paene unam duas has aves poeta voluerit, id ex eo licet videre, quod utrique earum tribuit, quod alterutri tantum tribuendum erat. An lusciniam quisquam unquam homo *circum gramina fusam* conspexit? Quibus verbis non dicam descriptum, sed plane ob oculos positum hirundinis volatum, *prope stringentis* humum lapsu, (cf. Plin. H. N. 10, 24) per

pol quam mirum est neminem interpretum sensisse. Qui inde quae commenti sunt reperies apud Antonium. Neque magis, quam ille volatus lusciniae, hirundinis est cantus[12]): nisi forte antiquas ac classicas hirundines cecinisse putas. *Silvestris* autem quare luscinia, quare dicta est hirundo *urbana?* Credo, propterea, ut ex suis utramque finibus egressam ob aliquod quasi emolumentum suum in illum non suum locum se contulisse appareat. Quod emolumentum nullum aliud erat, nisi mutuus ambarum inter se usus amoris, commendatus is eximia loci amoenitate. — Quoquo igitur nos vertimus, quodvis paene verbum ad id poetam has aves advocasse loquitur, ut, ex quo loci ad amandum nosceretur opportunitas, aliquid amatorii agerent.

Sed, relicta hac quam inchoavimus de codice Memmii disquisitione, in belli nos civilis cancellos recipimus. Non enim hoc agebamus, ut codicis huius qui usus esse deberet in re critica administranda doceremus, id quod ne poteramus quidem, quum aliis subsidiis destituti, tum vero parum instructi ab ipsius opibus: sed nihil aliud nobis voluimus, quam ut, ad quod hic nos locus tantum non cogere videretur, iudicium nostrum qualecunque de codice, quem multis multi laudibus ornassent, proponeremus.

§. 6.

Igitur inde a versu 238 de Pompeii fuga referens poeta nominibus hunc ornavit magnificentissimis, quo turpiorem fugam efficeret. En materies lectoribus oblata, quam pro suo quisque ingenio amplificarent. Et amplificarunt. Nam poetam aegre a me impetro quin putem sic scripsisse:

Gemino cum consule Magnus,
Ille tremor Ponti, saevique repressor[13]) *Hydaspis,*

---

[12]) *Cantu*, i. e. cum cantu. (Cf. Reisig's Vorlesgg. üb. lat. Sprachwissensch. p. 714.) Quae interpretatio, ut nunc necessaria est, ita *rurum* verbo dominante non potuit cuiquam in mentem venire, quia aves nemo poterat velle agricolas esse.

[13]) Antonius scripsit *repertus:* quod, sive est ex codice aliquo ms. *petitum, sive, quod* veri similius est, ingenio Hadr. Iunii debetur, certe non

240 *Et piratarum scopulus, modo quem ter ovantem*
Iuppiter horruerat, deserto nomine fugit;

quamquam omnibus in codicibus versum 240 haec sequuntur: *Iuppiter horruerat, quem fracto gurgite Pontus Et veneratus erat submissa Bosporus unda Pro pudor! imperii deserto nomine fugit.* An verba *quem fracto gurgite Pontus Et veneratus erat submissa Bosporus unda* aliud quid sonant, quam, quod supra est dictum, *ille tremor Ponti?* Immo his eiectis tautologiam nobis videmur prorsus impatibilem a poeta bono removisse. Deinde quam enerve est illud: *imperii deserto nomine!*[14]). Quod non profectum a poeta satis aperte qui primus horum versuum est indicat. Nam quum illo versu Magni provisum sit nomen ut assignetur lectori et infigatur, (id quod perspicies, si, quae omisimus, assumpseris *Quid tam parva queror?*) non difficile est intelligere, hic esse respectum potius habitum ad hoc, quam imperii nomen illatum. Denique quae expunximus non sublatis, climax, qua Pompeii laudes continentur, tota it pessum. Quid enim, quaeso, maiorem habet admirationem, quam Iuppiter ipse mortalem horrens? — Quam interpolationem miror non odoratos esse interpretes, qui Nodotianum istud *Ignavaque fuga Romam famamque relinquit* ex versuum serie protelarent; praesertim quum totus hic versus, quod exitus eius suspicari nos sinit, ex interpretamento verborum *deserto nomine fugit* exortus esse videatur.

His sic expositis si quid contra posset dici circumspicientes, in versu, qui proximus illam de Pompeii fuga narra-

---

multum ab eo distat verbo, quod paene in omnibus codd. est, *repertor.* Tamen quum huius loci ea sit conformatio, ut substantivum aliquod requiramus, (nam substantivi ut verbum *saevi,* quippe cum quo *tremor* non concinat, habet expectationem, ita desiderium facit institutum illud poetae, quo virtutem Pompeii in luce voluit clarissima collocatam) quum igitur substantivo maxime opus sit, nos, dum mitior medicina inventa sit, hanc Reiskianam adhibendam existimavimus. *Repertoris* autem defendens verbum Christoph. Richardus meras nugas egit.

[14]) i. e. derelictis quae imperii nomen iniungit officiis. Multo aliter interpretes, verum omnes falso. Quorum explicationes quum fieri posse Suringar intelligeret ut alicui non probarentur, ipse de mutandis verbis cogitavit. Excudit autem, vel potius alucinatus est hoc: *imperii deserta munimina fugit.*

tionem sequitur, offendimus hoc: *Ut Fortuna levis Magni quoque terga videret.* Duas aliquis res ex hoc versu nobis opposuerit, unam, quod is, quem fuga sua Magni deseruisse nomen, non imperii, voluerimus, Magnus fugisse plane et diserte perhibeatur; alteram, quod poeta, si secutus sit illud, ut duas has notiones, magnitudinis et fugiendi, inter se componeret, sententiam verbis *deserto nomine fugit* videatur debuisse concludere. Sentiri id quidem magis, quam demonstrationi esse opportunum, sed liquere tamen, omnia in hac clausula inesse, quorum exorsus concitarit expectationem. Nam inde a primo versu, utpote qui fugam Pompeii tantum non enarret, usque eo lectorem properare, dum, quam futuram esse ex illo versu cognoverit, mentio fugae fiat iusta. Qua reperta eum subsistere, quippe saturum animi, omniaque quae desiderasset expletum, et eo quidem magis expletum, quum illud *deserto nomine* teretissimam toti sententiae quasi induat unitatem. Quod autem in fugiendi verbo, tamquam in clausula lector subsistat, id efficere, ut quae sequuntur, propter hoc ipsum, quod clausulam sequi videantur, elumbia se trahant, emineantque extra corpus orationis expressa.

Haec tela, ut quispiam in nostram caussam intenderit, ita facili nos strategemate in illum versum ipsum retorqueamus pro nobis. Sed nolumus scriptorem videri ad nostrum iudicium conformasse potius, quam restituisse in integrum. Neque est quidem, quare ab illo versu in dumeta correpamus. Est etenim talis, qui, dummodo ne graveris ad vivum resecare, nihil nos illa conatos refutet. Itaque si Fortunam rerum Romanarum gubernacula tenere creditam esse reputatur, atque accitur illud Lucani 2, 193—195:

Vidit Fortuna colonos
Praenestina suos cunctos simul ense recepto
Unius populum pereuntes tempore mortis;

haec igitur si, uti par est, ad hunc versum interpretandum adhibentur, in dubium vocari vix potest, quin Fortuna fugam Pompeii prodatur admisisse. Quo valet et verbum *levis*, quod deam illam indicat narratum iri aliquid fecisse, quo mentis suae levitatem et inconstantiam probaverit. Surgit itaque haec sententia: *ne a Magno quidem Fortuna*, qua erat levitate,

fugae ignominiam defendit. Quam sententiam is, qui secundus hoc poema edidit, existimans, ut videtur, artiore, quam par erat, vinclo ad antecedentia applicatam, sic informavit: *Et Fortuna levis Magni quoque terga tuetur.* At effecisse quod dicas fugam, idem non minus recte hic fuga dicitur effectum. Nam efficiebatur ei, qui de facto tam insolenti consideraret. Atque id ipsum, quod hic versus in re versatur cogitata, non gesta, salvos nos atque incolumes ex adversario illo eripit. Iam enim patet, non commemorari, quod Pompeio acciderit fugienti; (quod Magno accidisse sane non aptissime in hac tanta deserti nominis vicinitate diceretur) sed proponitur aliquid, quod, quia in fugam se dedisset, passus esse Magnus iudicandus sit. Nec magis illam nunc sentias molestiam, quam pertextae atque conclusae addita orationi sententia videbatur habere. Nam additum est non quod enarrandae sit fugae, sed iudicium de fuga iam enarrata. Cuius iudicii, ut post fugam enarratam est aptissimus locus, ita aditus est illa mora deputanda, qua lectorem videbamus in enarrata fuga subsistere.

Iam vero quum eo rem adduxerimus, ut per hunc versum caussam nostram obtinere nos posse appareat, nulla nos privati odii suspicione commota, quem dudum in eum, sed tacite, intendimus, tandem coniicere poterimus obelum. Quo transfixum versum et deletum nemo non volet, qui haec secum reputaverit. Fugam Pompeianam, sive removentur a narratione quae removenda censuimus, sive non removentur, utroque pacto, et posteriore quidem magis etiam eam patet ita commemorari, ut ad turpissimam referatur ignaviam. Non attingo quae sua se sponte cuivis ostendunt: verum quo pertinet quod versus est 238. *queror?* Non potest alio, nisi ad ipsam ignaviam, praeter quam quod Romanus homo quereretur, nec Pompeii, nec reliquorum fuga habuerit. Igitur qui hoc dixisset: *omni proiecto pudore magnus se imperator in Quiritium delabi ignaviam est passus*, hoc tale qui dixisset, num idem illud existimandus est addidisse: *is erat favor Fortunae: cui continuaverat praesens triumphos, ab eodem tum nulla fugam cohibuit?* rem, inquam, addidisse, non solum alienam, sed contrariam, sed eam, qua Pompeius ignaviae purgare-

tur, incusaretur levitatis Fortuna? — Nisi qui deus delusum me ivit, est hic tam molestus versus ab eo allitus, qui quod sequitur *ergo* explicaturus, (id autem verbum quanto opere interpretes agitaverit, supra vidimus p. 12) numen aliquod anquireret, quod probabile esset Pompeianae fugae interfuisse. Id numen quum facile se dare videretur Fortuna, rectrix illa rerum humanarum, hanc ille, rei quae ageretur prorsus immemor, *vidisse* dixit Pompeium fugientem, verbum a sequenti versu, ex quo hunc consarcinatum esse satis perspicuum est, mutuatus.

§. 7.

Sic Pompeianae fugae descriptione in integrum, ut opinamur, restituta, non temperamus nobis, quin omnem illam partem poematis, ad quam descriptio haec pertinet, diligentius, quam adhuc factum est, examinemus. Iuvat enim ampliori quodam et uberiori exemplo docuisse, tum quam multa post tot virorum non indoctorum in hoc ipsum poema collatas curas interpreti reliqua sint facta, tum quanta per codices vel optimos divinandi ac coniectandi licentia sit. Verum hac licentia si cui parum videar usus aut hic, aut alias, ne is ignaviam meam increpet, quae nulla erat, sed sic habeto, saepe ne summa quidem me assiduitate hoc potuisse consequi, ut aliquid probum extricarem, sive rei obstitit difficultas plane singularis, sive tarditas ingenii, quae non exuitur ut paenula aut urens calceamentum. Itaque quum illa mihi desperanda esset laus, ex privato sua scriptori reddidisse, id quod solis Hermannis succedat, hac una re acquiescendum putavi, ut, quae poetam non consentaneum esset scripsisse, ostenderem. Qua ratione numquid caussam Petronianam adiuverim, aliorum condecet esse iudicium: ego hoc dico, omnibus me opibus, viribus, ut adiuvarem, elaborasse. Sed aggredior id, quod pollicitus sum.

Sunt igitur, qui Pompeianae fugae descriptionem proximi antecedunt, versus undetriginta ita ab Antonio perscripti:

Dum Caesar tumidas iratus deprimit arces;
Interea volucer, motis conterrita pennis, 210
Fama volat, summique petit iuga celsa Palati:

Atque hoc Romanos tonitru ferit: omnia signa,
Iam classes fluitare mari, totasque per Alpes
Fervere Germano perfusas sanguine turmas.
215 *Arma, cruor, caedes, incendia, totaque bella*
Ante oculos volitant: ergo pulsata tumultu
Pectora, perque duas scinduntur territa caussas.
Huic fuga per terras, illi magis unda, probatur;
Et patria est pontus. Sed iam timor est, magis arma
220 *Qui tentata velit; fatisque iubentibus actus,*
Quantum quisque timet, tantum fugit, ocior ipse.
Hos inter motus populus, (miserabile visu!)
Quo mens icta iubet, deserta ducitur urbe.
Gaudet Roma fuga, debellatique Quirites
225 *Rumoris sonitu moerentia tecta relinquunt.*
Ille manu trepida natos tenet: ille Penates
Occultat gremio, deploratumque relinquit
Limen, et absentem votis interficit hostem.
Sunt, qui coniugibus moerentia pectora iungant;
230 *Grandaevosque patres oneris ignara iuventus,*
Et pro quo metuit, tantum trahit. Omnia secum
Hic vehit imprudens, praedamque in proelia ducit.
Ac velut ex alto cum magnus inhorruit Auster,
Et pulsas evertit aquas, non arma ministris,
235 *Non regimen prodest: ligat alter pondera pinus,*
Alter tuta sinu, tranquillaque littora quaerit:
Hic dat vela fugae. Fortunaeque omnia credit.

De his versibus quae dicere habemus, quum non sint inter se apta, annotationum quasi dissolutione visum est explicare. Igitur v. 210 ne respue quod Autesiodorensis et Bernensis praebent codices *pinnis.* Verum hoc ego verbum commendans non volucrem volo cogitatam, (notum est enim, non secus pinnas ac pennas volucrum dictas esse) sed arces. Arcium enim concussis a Caesare culminibus, non motis ab ipsa pennis, conterrita Fama dicenda erat. Namque, ut taceam, quod nemo homo dubitat, nihil aves suo ipsarum motu pennarum conterreri: *Fama sedet custos aut summi culmine tecti Turribus aut altis.* (Virg. Aen. 4, 186) Ac propter datam Famae hanc sedem *exterrita* potius, quam *conterrita* scri-

ptum esse mallem, in hanc sententiam: *territa et pinnis, ut sede sua, excussa.* Quominus vero *pennis motis* cum *volat* iungas, quo illustris fieri oratio, resque paene ante oculos constitui videatur, verborum repugnat collocatio, non despicienda illa interpres. —. V. 212. Nae is egregie ab Antonio emendatus! Qua emendatione quae Famae effecta est oratio rapida ac prope perturbata, vide, quam apta sit conterritae. — V. 220. *Actus* ex coniectura est Sambuci. Codex Sambuci *acti* praebet, quod Orellius his tuetur verbis, *verum est*, inquit, *acti*, *quod*, *quia sequitur quisque*, *mutarunt in singularem numerum.* At vero (pace magni viri dixerim) num latinum est sic dixisse, *fugit quisque acti?* — Sed ut sit latinum, sicut non est — vel potius illud ponamus, *actus* non esse ex coniectura: displicet quam verbum hoc efficit sententia. Nam quod eius sententiae quasi stamen est, *fatis iubentibus actum fugere*, id, si non deletur, at obscuratur tamen hoc inserto subtemine, *tantum quisque fugit*, *quantum timet:* pro quo dicendum erat *quantum agitur* [15]). — Sed ut ne hoc quidem vere videamur iudicasse, sitque, quam improbavimus, proba sententia: qui pertinet ea ita ad antecedentia, ut *que* verbo annecti potuerit? — Quo argumento vel uno usus optimo iure et coniecturam illam (*actus*) et protractum ex codice verbum (*acti*) damnaveris. Iam vero sic factam lacunam quomodo explebimus? In Traguriensi codice reperitur *icti*, quod, etsi multo minus quam *acti* potest placere, (videtur autem *acti* ex *icti* ortum corrigendo) tamen vestigium quoddam est existimandum, quod, quid fuerit a poeta

---

15) Hanc remoturus inconcinnitatem si quis, quod olim quidam scribendum coniecit, *quantum quisque timet, tanto fugit ocior* scribat, illi dictum erit, quod subinde de *que* verbo monuimus. Censemus enim, quae duo se iam dant, *timorem ad arma magis, quam ad fugam Romanos impulisse*, (v. 219) ac *fugam Romanorum, quae in fatis fuisset, multum timore acceleratam esse,* ea, si narranda fuissent, si una devincienda comprehensione, non ea potuisse devinciri, qua consequens esse posterius aut alia qua ratione aptum ex superiori videretur. Quam potestatem *que* particulae, ut par est, attendenti non magis, spero, illud probabitur, quod, abiecto verbo *timoris,* Nodotius et Wernsdorfius ediderunt: *Est; magis arma Qui tentata velit: fatisque iubentibus actus, Quantum quisque timet, tantum fugit.*

scriptum, significet. Nam qui hoc tenebit, satis illud quidem mirabile auditu, sed nobis ipsis observatum, in vocalium cum „t" littera concursu saepe a Traguriensi homine „c" esse interpositam, veluti huius poematis v. 284 (*immictite*) et ubique in participio *tritus:* hanc ergo. rem qui noverit, vix is nobis *icti* pro *iti* sumentibus adversabitur. *Iti* vero quum ipsum sit nihil, quis non videt *uti* prae se ferre? Ita. adepti sumus id verbum, quod Memmianus, Colbertinus, Leidensis, Bernensis codd. praebent. Quos codices nihil hic interpretes morantes, bone Petroni, qua te sententia fraudaverunt!

Est, magis arma
Qui tentata [16]) *velit, fatisque iubentibus uti.*

Iusserunt autem tum fata Romanos non fugere, (id quod solus timor iussit) sed arma civilia sumere. Ad quae sumenda quod poeta finxit qui fuissent propensi, ut magnam habet veri speciem, ita a discrepantia, quam consiliorum fuisse versu 217 perhibet, paene expectatur. Cuius discrepantiae iam haec emergit imago, certa a codicibus atque indubia,

Huic fuga per terras, illi magis unda probatur.
Est, magis arma
Qui tentata velit, fatisque iubentibus uti.

Quae desunt nulli nos dubitamus, spretis virorum doctorum coniecturis, ex codice Bernensi petere,

Et patria pontus iam tutior.

Id vero quod Antonius dedit si quis sit contra nos defensurus, primum is videat, ut *sed,* quod commentus est Sambucus, ab hoc loco non abhorrere doceat; tum *timoris* verbum reputet quam facile ex hac confingi nota potuerit *tūor*, qua nota non improbabile est librarium *tutior* significasse; denique illud *Et patria est pontus* non ineptum esse demonstret. Interim nos hoc tenemus, non duas esse partes, in quas discedere poeta Romanos iusserit, sed tres: *huic* — *illi* — *est*, *qui.* Quapropter versu 217 *per dubias* scribendum erit, ut est in Sambuci codice, non *perque duas.* Potest, ut falsus sim,

---

[16]) In tribus his codicibus Bernensi et Leidensi Memmianoque est *temptare, quod fortasse* verum est, quamvis interpolationem sapiat.

sed videtur mihi haec quoque dissensio librorum a compendio quodam scribendi repetenda esse. Id compendium puto hoc fuisse, *dūas*, a quo quam pronum fuerit in errorem incidere, non est, quod dicam. At, dixerit quis, partes numerantem quid vetuit priores duas una fugam meditantium comprehendere? Ipsum hoc numerare (ut taceam de incommoditate, quam *que* habet summam) igitur hoc ad numerum exigere prorsus alienum ab eo iudicandum censeo, qui duabus vel tribus exhibitis partibus uni tantum aliquid tribuerit. Id enim qui ageret, ei cavendum erat, ne, quum unam suam partem persecutus esset, altera superesse tertiave videretur. Quod poeta cavens in *dubias* Romanos partes discessisse dixit, probe ille quidem gnarus, quam non esset novum, ut, qui dubitantes alius aliud voluissent [17]), unum idemque omnes facerent. Sic autem tum evenisse ipse narrat infra,

Hos inter motus populus (miserabile visu) 222
Quo mens icta iubet deserta ducitur urbe.

Dicit igitur hoc poeta, Romanos, dum quid agerent dubii fuissent, in fugam se dedisse. An est, quo *motus* referantur, nisi ad ipsam illam dubitationem? Itaque quum duos hos versus ex iis, quibus dubitantium dissensum explicari vidimus, appareat dependere, proximi illos insequantur oportebit. Insequentur autem, si, qui unus ne insequantur obstat, versus omissus erit hic:

Quantum quisque timet, tantum fugit, ocior ipse.

Hunc versum cum antecedentibus non ita posse coniungi, ut coniunctum ab omnibus supra vidimus, nemo iam sit quin det. Atque *uti* verbo recepto patet factum esse, ut ille, quum ante fuerit pertexendo, nunc enuntiatum aliquod exordiatur. Cuius enuntiati qui constituendus sit limes anquirentibus duo nobis loci ab interpretibus monstrantur, alter pone *fugit*, pone *ipse* alter. Illo priore qui usi sunt, quum viderent hoc effectum, *ocior populus ducitur*, sic censuerunt, quam senatores et equites ociorem populum dici, pertinereque quae antecedunt

---

[17]) Est autem haec dubitatio in sequentibus versibus non obscure per *magis* verbum significata. Id quod magno est argumento, hic dubias a poeta *scriptum fuisse.*

ad senatores et equites. At, quaeso, quae sunt in antecedentibus, ex quibus non de universo populo, sed de certis quibusdam eius ordinibus dici cognoscatur? Quidque habent pectora illa (V. 217) senatorii? quid equestre? Nisi tota erro via, populi hic nomine omnes ii comprehenduntur, qui supra quid agerent dubitasse narrabantur. Nec videtur quidem poeta ex instituto suo, quo Pompeii et consulum fuga fugam reliquorum quasi obscuratam voluit atque excusatam, aliud Romanorum inter ipsos facere discrimen potuisse, nisi hoc, ut in duas eos partes, quarum altera Pompeius esset cum consulibus, altera quicunque non Pompeius neque consules essent, distingueret. Itaque quum *ocior ipse* ante oculos sit nullo prorsus modo ad sequentia posse referri, superest, ut quam cum antecedentibus copulata illa verba praestant sententiam sub iudicium vocemus. Id nos facturi paene miramur, quod, quum multi essent, qui copularent cum antecedentibus atque sic efferrent *fugit ocior ipse*, nemini tamen in mentem venit *ipso* scribere, ad graecum ὠκίων αὐτὸς ἑαυτοῦ. Sed licet ita corrigi satis leniter possit dictio, sententia quo defendatur neque hilum habet. Quum enim, qui sequentibus versibus fugisse dicuntur, nulli sint alii, nisi qui hic dicuntur, num veri simile est, ut bis eandem et unam rem poeta narrarit? num, ut posteriori loco ita narrarit, ut non iterum, sed primum narrare manifestus sit? (Nam nulla est, quorum versus 222 mentionem habet, motuum ex antecedenti versu interpretatio.) Nae ego non is sum, qui quidquam in his litteris affirmem, dubitans plerumque et mihi ipse diffidens, verum hoc videor posse dicere, versum 221 ex lemmate quodam conflatum esse, quod, narrationis summam, ut fiebat, redditurus, margini lector quispiam adscripserit. Id lemma si hoc fuit, *quantum quisque timet, tantum fugit*, (non intelligo autem hoc enunciatum quomodo ab heroici carminis gravitate non alienum sit) hoc igitur si adscriptum fuit lemma, hexametri versus plus quam dimidium, patet quam paene provocari potuerit interpolator. — V. 224. Suringar sic scribendum coniecit: *Suadet Roma fugam.* Opinatur enim — sed praestat ipsum audire: „Neminem offendisse miror, inquit, „Romam hic dici civium suorum fuga gaudentem, quam adeo

„consternatam, ut superioribus, ita sequentibus versibus, no-„bis depingit poeta. Vix itaque dubito, quin ulcus lateat, „quod tamen facile sanari poterit, si pro *gaudet* legamus *sua-„det*; Roma quippe Pompeii partibus addicta civibus suis fu-„gam quidem *suadere*, minime vero ea *gaudere* poterat: si-„militer Virg. Aen. 1, 357: Tum celerare fugam patriaque „excedere *suadet*, et Stat. Theb. 11, 52: *Suadebatque fugam* „et tutos in castra receptus. Sic ante et post pugnam Phar-„salicam Pompeio amici alii aliud *suadebant*, vid. Velleius 2, „52 et 53.“ Haec igitur Suringar. Quem primum non assequimur Velleio excitando et Statio Virgilioque quid sibi voluerit. Nam neutram rem necesse erat probare, nec latinum esse *fugam suadere*, nec *suadere inter se* Romanos fuisse solitos. Deinde quod Romam inter et cives Romae distinxit, reapse non distinxit. Quae enim potest Roma esse, ea, quam *consternatam* appellat, quam *partibus Pompeii addictam*, nisi ipsi Romae cives? Hi autem si suaserunt, patet nullos esse quibus suasum sit. Sed ut urbem ille seu domicilia, quae cogitavit, non incolas esset locutus: qui potuit urbs fugam suasisse dici, moenibus et arcibus tutissima? Nos id, quod nullus non codex habet, amplexantes hoc a poeta dictum existimamus: tam cupide Romanos fugisse, ut gaudere fuga viderentur. Cui sententiae et congruunt quae insequuntur, per epexegesim quandam addita, nec absimile forma est illud, quod apud Silium 5, 91 est, sacros pullos, qui damnassent vesci, (v. 62) vesci esse gavisuros, i. e. avide pultem cum tripudioque solistimo comesturos. — V. 226—232. Septem hos versus Reiskius secundum codicem Cuiacianum sic disposuit, ut 230 et 231 et 232 post 225, 226 autem cum sequentibus tribus post 232 versum collocaret. Qua traiectione quum illud effecisset,

— Quirites — tecta relinquunt
Grandaevosque patres, onerisque ignara iuventus
Id, pro quo metuit, tantum trahit; omnia secum
Hic vehit imprudens praedamque in proelia ducit:

fieri non potuit, quin satis esset iis factum, qui, qua erant sive ignavia, sive socordia, obvia perspicuitate sententiarum acquiescere solebant. His enim quid erat, quod magis quisset

placere, quam Quirites et domicilia sua et patres derelinquentes? quam iuventus propter infirmitatem virium id tantum trahens, pro quo metueret? quam denique ex contrario aliquis omnia sua secum asportans? Visa sunt haec tam praeclare et inter se apta, et pro se quidque inventa, ut, quae addenda erant,

Ille manu trepida natos tenet, ille penates
Occultat gremio, deploratumque relinquit
Limen, et absentem votis interficit hostem:
Sunt, qui coniugibus moerentia pectora iungant:

ea addita valde frigere (id quod praecipue in extremum versum valet, quippe qui totus ex oratione extet) aut non sentiretur, aut, si sentiebatur, leve putaretur prae antecedentium bonitate. Egregiam vero bonitatem! sed hac de re fusius infra: nunc illud dicimus, prorsus nullam esse Cuiaciani codicis in disponendis versibus auctoritatem. Nam is in illo paene per totum hoc poema est versuum ordo, quo enuntiationes vixdum inchoatae abrumpantur, sententiae obscurentur et pervertantur, ima summis misceantur. Quae turbae unde natae sint, non dubitamus, quin pro certo dicere possemus, si ipsius nobis codicis inspiciendi esset copia. Nunc, quum acquiescendum sit iis, quae Tornaesii „variae lectiones" habent, ne perspicuis quidem illis ac planis, sic opinere, librarium, quae transiluisset in scribendo, vel festinus, vel somnians, eorum quidque, quum suo loco non posset, alieno maluisse quam nullo addere. Quae opinio quo magis a cetero, qui in Cuiaciano libro est, poematis habitu commendatur, eo minus nos eam in hanc transferre traiectionem veremur, accipimusque id, quod reliquis in codicibus perscriptum Antonius offert. Id autem vide, quam aptam et concinnam habeat rei expositionem. Ac primum quidem quae de universa re dicta sunt, (v. 224 et 225) iis sunt ea, quibus partes rei explicantur, (v. 226—232) non, ut est in Cuiaciana serie, subiuncta, (nunc fere dicunt coordinata) sed sunt, quae debent esse, subiecta seu subordinata. Deinde vero et universae rei descriptio et explicatio partium ea membrorum compositione sunt, qua quodque membrum „uni reddatur formae." An simplex illud et unum, quo nihil magis ars praecipit, non evertitur totum, si

Quirites praeter tecta patres quoque dereliquisse dicantur? Certe si verum est, quod verum esse defendimus, hoc poetam egisse, ut, quod, si non obscurius, at ieiunius tamen videri posset dictum, *gaudet Roma fuga* epexegesi quadam ornaret: patet eum ad condendum id, quod esset loco epexegesis, non aliud quidquam adhibere potuisse, nisi quod ex hac sententia ipsa elicuisset. Atqui urbem aliquam, i. e. incolas urbis alicuius in fugam se dedisse, id relictorum quum habeat domiciliorum significationem plane necessariam, quam, quaeso, habet patrum? Quis vero homo Romanus sic distinxerit, ut Quirites loqueretur et patres Quiritium? ut patres Quiritium a Quiritibus secerneret? — De versibus, quibus res ex partibus suis depingitur, (v. 226—232) nemo, puto, erit, qui, quum, quae singuli secum portarint fugientes, narretur, narrationem hanc nobis non consentiat nulla re magis concluse quitam esse terminari, quam posito illo, qui omnia sua avexerat. Praeter illum vero quos videmus portare, nonne alius in liberos, alius in deos, in uxores quidam portando se praestant pios? Igitur in hac tam multa pietate quis impie habitos relictosque patiatur eos, in quos non esse pium antiquitas omnis ignorabat? Accedit aliud quiddam, quod in avectis patres numerari iubeat. Nam, quod probari satis tum demum poterit, quando hoc poema cum Pharsalia Lucani comparabitur, finxit poeta turbam suam portantem ad Aeneam illum Virgilianum. Is autem Troia fugiens quum filiolum secum duceret et penates uxoremque, tum vero patrem asportavit. Sive igitur, quae in aperto est, imaginem pietatis inspicimus, sive attendimus de Virgiliano exemplo, utrobique patres non relicti ut id requiruntur, quo partium in totum aliquid efficiatur concentus. Ad quem concentum nemo non videt etiam illud pertinere, quod patres, quum, ut ne derelinquerentur, portandi ab aliquibus fuerint grandaevi, a iuventute ii seu iuvenibus filiis asportati dicuntur. Sed huius nos rei mentio in alium disputationis campum deducit. Quamvis enim, quibus potius quam iuventuti grandaevos patres mandes non reperias ullos, neque dubitari possit, quin fecerit poeta senes a iuvenibus aspor-

tari [18]), tamen is quibus hanc in rem usus sit verbis quaerendum videtur. An acquiescamus illis, quae supra in contextis exhibuimus? At nihil, puto, aut absurdius per se quitum est dici, aut quod magis a poetico narrandi genere discreparet, quam *iuventutem patres et praeter patres id tantum, pro quo metuisset, asportasse.* Neque est quidem, quo maximam partem haec insulsitas continetur, *et* verbum ex codice ullo, sed est ab Antonio confictum ex *id*, quod omnibus in codicibus est. Hoc ergo *id* ante omnia erit reponendum. Sed ne sic quidem, quod probabile sit ab ipso esse poeta conscriptum, adepti sumus. Quum enim iam haec emergat sententia, non ea quidem concinne satis enuntiata, (id quod Antonium adduxit, ut *id* in *et* mutaret) sed tamen quae enuntiata sit, *iuventutem id tantum, pro quo metuisset, patres grandaevos, asportasse:* hac igitur ex sententia nemo tam hebes sit, quin ineptissima duo intelligat effici, unum, *ceteram turbam etiam ea, pro quibus non metuisset, secum tulisse,* alterum, *iuventutem aut potuisse aut debuisse plus asportare, quam pro quo metuisset* [19]). Ac iuventus, militaris illa aetas, qui potuit *oneris ignara* dici? Vera est enim Antonii interpretatio, qua *imparem oneribus ferendis* ponit; neque quidquam egit Wernsdorfius, qui, quum haec scriberet: *oneris ignara, i. e. onus non sentiens, quod fert, quia pietas leve facit,* si minus usum loquendi, at quod sequitur *trahit* neglexit, satis apertam illud laboris in portando hausti significationem habens. Quid illud? non metrum laborat ab *oneris?* Est sane haec res levis per se ipsa, (nam excitari potest Vir-

18) Nam nihili est, quod etiam in Bernensi libro perscriptum est, *onerisque:* quod qui receperunt, et receperunt plerique, vellem obortum ipsis enuntiatum interpretari aggressi essent hoc: *sunt, qui coniugibus moerentia pectora iungant grandaevosque patres.* Credo, non recepissent. Quod vero quidam codices, ut Patissonius refert, *oneris non gnara* habent, id, si quid mei iudicii est, nudam *ris* syllabam nec *que* verbo septam ex calamo scriptoris prodiisse testatur.

19) Quid vero, dicet aliquis, si *tantum* non cum *id, pro quo metuit,* verum, quod suadere ipsa numeri ratio videtur, cum *trahit* coniungatur? — *Valebit tum (ut omittam* nunc alia) quod dictum a nobis de oneris ignara *iuventute* [illegible]

gilius auctor) sed quum accedat quae modo nobis notata est deformitas, magno argumento est, non esse *oneris* a poeta scriptum. [20]) Is vero quid scripserit, si de hoc uno verbo quaeratur, non difficile est dictu. Obtrudit enim propemodum se nobis ac sponte sua infert, quod ingenio Henr. Stephani debetur, *humeris*, commendatissimum illud et natura rei, et Virgiliana illa portatione. Sed nihildum effectum, apparetque Stephanum in limine substitisse, sive noluit ultra progredi, sive desperavit posse. A posteriori parte nos ipsi stantes tamen committere noluimus, ut, quum sua scriptori reddere non possemus, eidem alienum quiddam, quod allitum cognossemus, abluere gravaremur. Itaque de ignara, quae iam se offert, iuventute quid faceremus non nos repperisse profitentes, ad insequentem versum accedimus. Eius autem haec verba: *id pro quo metuit tantum trahit*, quum, quoquo modo inter se iungantur, prosae potius quam poesis esse iudicanda sint, tum superiora illa: *quantum quisque timet, tantum fugit*, (v. 221) similitudine quadam attingere ne luscioso quidem negabuntur. Et auget eam similitudinem codex Bernensis. Is enim quum *timuit*, quod a temporis quam habet significatione prorsus intolerabile est, praebeat, quid aliud nisi *timet* olim scriptum fuisse testatur? Sic vero ex numeri vinclis expeditus unum fac *id* omittas, iam totam rem confeceris. Nam comparentem tum enuntiationem *pro quo timet, tantum trahit* non modo similem esse superiori patet, sed

---

20) Adversariorum, qui existant, perpetuam nos rationem habentes hic aliquem nobis fingimus hoc intendere telum: „posse, qua petitum illud ab „insolentiori productione argumentum superstruxerimus, deformitatem ita re- „moveri, ut epitheton *oneris ignara* non ut commune, sed ut tale, quo „quae tum fuisset iuventus, enervis atque iners, notaretur, positum dicatur. „Cum qua interpretatione, quae nitatur in exordio huius poematis, si coniun- „gatur illa, qua *tantum* ad *trahit* referatur, nihil iam esse, in quo quis of- „fendat.“ — Ita nos impugnanti de epitheto quidem dubii sumus concedamusne, an Stephanianae, quam infra memoravimus, coniecturae lenocinia opponamus; de altera vero ratione, quoniam res eo deducta est, ut aliquid de illis aliis, quae in antecedenti annotatione nos diximus posse afferre, promendum esse videatur, sic censemus, efficere ipsam humilius enuntiatum, *quum dictione, tum sententia*, quam quod vel pessimi queat poetae duci.

etiam ex ea aptam. An respiciens illam non *quisque* in *timet* audis? non *quo* sentis ad *tantum* esse referendum? Atque de illa quae disputavimus si recte habent, num horum versuum sententia brevius potuit ac verius explicari quam his ipsis verbis? Ne multa, censemus haec verba ab eodem, qui superiora margini adscripserit, item pro lemmate esse adscripta. Quod lemma nos arbitrari sensim a margine in interiorem paginam irrepsisse, poetae verba expulisse, formam ac speciem eorum induisse, vix est, cur dicam; potius illud monendum, quamvis truncam orationem reddiderimus, tamen ex ea patres a iuvenibus asportatos cognosci.

§. 8.

Superest, ut, qui alter est locus, quem in enarrando hoc poemate praeterivimus, de iis dicamus versibus, qui coelites in duas discessisse partes, secutosque aut Caesaris aut Pompeii signa perhibent. Nam poeta, postquam Ditis chorum in terram dixit invasisse, sic pergit:

Sentit terra deos, mutataque sidera pondus
265 *Quaesivere suum; namque omnis regia coeli*
In partes diducta ruit, primumque Dione
Caesaris acta sui ducit. Comes additur illi
Pallas et ingentem quatiens Mavortius hastam.
Magnum cum Phoebo soror et Cyllenia proles
270 *Excipit ac totis similis Tirynthius actis.*

Deorum hoc dissidium, quo alii a Caesare, a Pompeio alii dicuntur stetisse, Casp. Barthio debemus, qui *Magnum* pro *Magnaque*, quod omnibus in codicibus est, scribendum vidit [21]). Atque effecit ita sententiam, quam aegre a poeta

[21]) Contende cum hac emendatione quod Plinius dicit H. N. 7, 26: *ad decus imperii Romani — pertinet — Pompeii M. titulos omnes triumphosque hoc loco nuncupari, aequato non modo Alexandri M. rerum fulgore, sed etiam Herculis prope ac Liberi patris.* Quam aequationem nescio an recte populi existimationi eiusdem scriptoris his verbis vindicemus: *fecit (Myron) — Herculem, qui est apud circum maximum in aede Pompeii Magni.* (34, 8) Ac Caesari si reputaveris propter prosapiam et ve-

abesse patiaris eo, qui rem suam fabulose per deorumque ministeria se acturum professus sit. Sed licet hi versus ad totam, quae Petroniani est poematis, rationem sint accommodatissimi: hoc, quo nunc sunt loco, non videntur posse tolerari, nisi concinnitatem velis orationis omnem eversam. Nam proxime quae antecedunt si legeris, deos, quos terra sensisse dicitur, vix alios poteris interpretari quam infernos illos. At intelligendi sunt coelites, quos sidera mutasse terra statim edocemur. Adiuvat vero errorem istum etiam hoc, quod verbum *sentit* facile ad Furoris illa incendia potest referri. Deinde quid erat caussae, cur Discordiam auctor a ceteris numinibus infernis segregaret? An minus haec inferna est, quam Furor et Letum et reliquus ille grex Orcinus? At caput habet Stygium, at Cocyti liquit tenebras et Tartara, at ipse eam Virgilius in Orco collocavit. — Unde est suspicio nostra, alium a poeta locum septem illis versibus assignatum esse. Quod speramus iis, quae de forma huius poematis dicemus, ad liquidum confessumque iri perductum. Nunc, ne in initiis caussae nostrae festinantius versati esse videamur, ei resistamus oportet, qui hoc ipso nos loco oppugnarit. Nam dixerit quis, ne omissis quidem illis versibus Discordiam a choro Ditis non dissociatam comparere. Quo valere et tubas ante adventum eius insonantes, et singularem huius adventus mentionem. De hac igitur ut primum consideremus, apparet sane quod versus est ducentesimi et quinquagesimi quinti *emergit* ad Discordiae

---

ditionem bellicamque virtutem, quae tria in eo enituissent, tres illos deos adiunctos videri, nullo uno eum voles comitatiorem. Ex quo simul hoc emergit, Mavortium non eum esse posse, quem Antonius esse voluit, Quirinum, qui ne videtur quidem unquam ita esse appellatus. At Mavors, dices, num appellari poterat Mavortius? Ex Wernsdorfii quidem opinione poterat: qui nescio qua incogitantia Hyperionis illum filium, ab Avieno in Arateis v. 127 Titanium dictum, exempli caussa produxit. Sed ut queat Mavortius idem esse qui Mars, (nam videtur idem esse apud Gruterum in inscr. 1 et 2 p. LVII) hoc loco ne idem sit, obstat, quod — ut taceam de Cyllenii vicinitate et Tirynthii — huius ipsius nominis vim propriam, qui proxime abest, versus 261 lectoribus inculcavit. Quid ergo? Immerito puto neglectum quod Tornaesius ex libris suis protraxit: *Mars obvius*. Nam quatere hastam Martis *est irruentis seu obviam* hostibus facti; cf. Iliad. 5, 594 cum 356.

emersum non pertinere. Hunc enim his demum verbis descriptum *extulit ad superos Stygium caput* tum versus 278, tum Propert. 2, 1, 37 testatur. Verum licet haec res ita sese habeat, neque eodem quo reliquos infernos tempore Discordiam poeta exciverit, tamen is illam credi non potest tum excivisse, quum de re plane alia, de coelitum in duas partes discessione, dixisset. Namque, ad quod ne quis mihi non attendat, erat ei, quippe qui sic instituisset, ut saeva deum turba miti videretur succedere, Discordia in locum Concordiae sufficienda. Quam suffectam valde dubito, num quis hoc, qui nunc est, versuum ordine retento persensurus sit. Atque infernorum vide quam inane sit spectaculum, si Discordia non accesserit. Nam quum huius ea sit vis, ut mortalibus inter se dissociandis bellum conflet, efficitur illos, ut quorum sit administrare bellum, nihil sine hac posse. Videtur itaque poeta, quam duplici hoc munere adstrictam nec longius a Concordia abesse, nec exemptam de Ditis choro poterat velle, Discordiam propterea separatim a choro evocasse, quod priores ipsi delaturus esset. Quo pertinet et tubarum cantus, quo quum signa dari praecipue pugnae, in qua omne est belli momentum, sint solita, patet eam excitari, quae, quia in partes distraxerit, pugnaeque prima fuerit caussa, plus quam totus chorus valuerit. Neque non facile est invenire, quum etiam de hac re quaerendum videatur, unde ille cantus insonuerit. Is enim ut coelitibus nullo prorsus pacto potest tribui, quia horum nec quis, nec cur quis cecinerit liquet, (id quod simul magno argumento est, in alieno hos loco haberi) ita ad infernos est referendus. Nam inferni in terram emersi quid prius agerent, quam ut advocarent eam, sine qua ipsi essent nihil? Homines vero ne quis dicat tubicines a poeta factos, infra obtinebimus.

Haec fere sunt, quae ante dicenda duximus, quam de poemate universo atque ex semet ipso spectato videremus. Nunc illo nos applicamus.

§. 9.

Quod expectare nos facit praefatio, de bello aliquo civili *esse scriptum* quod subsequitur poema, id, ut par erat, fa-

ctum vel quum primum dispeximus reperimus. Iam vero ad quod poeta bellum civile se appulerit quaerenti quum Dis respondeat his verbis:

Iam pridem nullo perfundimus ora cruore,
Nec mea Tisiphone sitientes perluit artus, 97
Ex quo Syllanus bibit ensis;

tum reliquum poema quae Caesaris ab armis occepit tempestatem proponit. Quam subsidentem quidem saepius, sed ad Actium demum sedatam, hoc extremo auctor termino comprehendit. Nam praesaga cernit Fortuna v. 115

Actiacosque sinus et Apollinis arma timentes.

Atque hanc tantam materiae per viginti fere annos diffusae copiam poeta respectans *ingens* in prooemio opus bellum civile dixit, non aliter ibi locutus, ac Livius, qui immensi numeret operis quas perscripturus est res, supra septingentesimum annum repetendas. Sed cognito, quae et quanta illi materies in manibus fuerit, hac idem num usus sit tota est explorandum.

§. 10.

In praefatione auctor quod propositurus est poema *impetum* vocat. Sic enim scripsit: *per ambages deorumque ministeria et fabulosum sententiarum tormentum praecipitandus est liber spiritus, ut potius furentis animi vaticinatio appareat, quam religiosae orationis sub testibus fides, tamquam, si placet, hic impetus, etiamsi nondum recepit ultimam manum.* Ex quibus verbis extremis Antonium errasse efficitur, quippe qui impetum idem dixerit esse, quod *enthusiasmum*, ut locutus est, *poeticum.* Nam displicet haec metonymia ob id, quod sequitur, *etiamsi nondum recepit ultimam manum.* Nos etymon vocis [22]) secuti ea poema hoc propterea insignitum putamus, quod absolutum non sit, sed viribus auctor vix temptatis acquieverit. Est enim impetus, si propriam eius et nativam vim spectas, *virium contentio in aggrediendo*, vel,

---

22) *Impetus a petendo in aliquid* est. Videtur autem *petere*, quod nunc est transitivum, primo nihil aliud, nisi validius quoddam et rapidius *betere fuisse,* validitatem p, e correpta rapiditatem sonante.

si malis, *aggressio vehementior*. Atqui aggredi ipsum, quam non sit penetrare aut perficere, liquet: quo vehementior vero aggressio aliqua est, eo citius deficit. Quid igitur obstat, ne, quod, cum fervore quodam animi exorsus, inchoatum reliquisset, id scriptor opus impetum vocare potuerit, i. e. *einen Anlauf?* Sed ut omni modo de impetu et perfectione inter se contrariis explicarem, haec adieci exempla, Liv. 5, 6: *impetu potius bella, quam perseverantia, gerat;* Quintil. 12, 2, 1: *virtus, etiamsi quosdam impetus ex natura sumit, tamen perficienda doctrina est.*

Quum igitur auctor ipse se poematis dumtaxat specimen quoddam daturum significaverit, tum poema materiae non impletae reddit testimonium. Quisquis est enim belli civilis finis, Petronius non ultra prima initia progressus est. Id vero demonstrare iure nobis nostro videmur supersedere. Nihil est enim aut declaratum ab illo ipso explicatius, aut quod facilius ex argumenti nostra enarratione (§. 3) quamvis concise possit pernosci. Nec videtur quidem quod versuum vix trecentorum est spatium ad rem tantae ubertatis pertractandam posse sufficere, ne ei quidem, qui vatem maluerit, quam historicum agere. Nam quocunque modo res narrantur, narrandae certe sunt. Tamen ipsum illud, quod vatem se poeta, non historicum, professus sit, verendum est, ne quis ad quosdam versus interpretandos ita adhibeat, ut in contrariam disputare partem incipiat[23]). Ei nos occurramus oportet. Itaque Fortunam poeta sic loquentem fecit:

Cerno equidem gemina iam stratos morte Philippos
Thessaliaeque rogos et funera gentis Iberae.
113 *Iam fragor armorum trepidantes personat aures,*
Et Libyae cerno et tua, Nile, gementia castra
Actiacosque sinus et Apollinis arma timentes.

Dedimus hos versus ex vulgata, nisi quod, orationis quandam

---

23) Vires sumpserit ea disputatio ab auctoritate Iosephi Iusti Scaligeri, quippe qui, quum *de mutatione rei publicae Romanae* inscripserit poema, in hac fuisse sententia videatur, ut Pharsalicam saltem pugnam narratione comprehensam existimaret. Constat enim, quam iam Pompeio devicto omnis *ad unum transire* potestas coeperit. Sed alia quaedam suppetit ratio, si *quam inscriptio Scaligeriana* exigatur. Qua ratione infra videmur.

ieiunitatem abstersuri, in locum *strictos* verbi *stratos* revocavimus. Strati vero morte et ea quidem gemina audiunt Philippi, quorum in agris Cassius cum Bruto cecidissent[24]. Quam dictionem ab interpretibus, ut videtur, non concoctam mitificaverint Attius apud Nonium c. 2: *nec perdolescit fligi socios, morte campos contegi*, et Silius 9, 38: *stratis deleto milite campis*. Sed haec dicta sint obiter. Ad res his versibus expressas quod attinet, erant, qui vaticinatum esse poetam existimarent. Quod ne existimatum sit absurde[25]), sic dictum accipimus, tamquam hic loci auctor extremo bello civili esset defunctus. Quippe. Quid enim, quod Pharsalicam pugnam commemoravit et Mundensem? quid, quod proelium Philippense? quid denique, quod Actiacam victoriam, qua ipsa civilia arma obmutuerunt? Sane commemorata sunt ista omnia, sed ita, ut aliud quid agentem commemorasse auctorem appareat. Id enim egit, ut caussas belli civilis explicaret. Quorum quum praecipuam vellet in Fortuna sitam, hanc necesse erat mentem a Romanis aversam declarare. Et declaravit, quum iactatis minis dirissimis, tum vocis facta per praesagium fide. Quod praesagium ipsis illis versibus, ad quos haec disputatio pertinet, conceptum, ut atrocitatis pondus haud exiguum verbis Fortunae addit, ita non potest pro artificio quodam haberi, quo narrationis vicem expletam poeta voluerit. Neque eundem est opponendum de iis potissimum rebus mentionem fecisse, quae, quum suo quaeque tempore belli illius extiterint termini, exantlatorum memoriam laborum non ingratam habeant. Immo Romanus homo (est autem quae

---

24) Haec interpretatio non assequor cur nemini uni in mentem venerit. Plerique omnes sic interpretantur, quasi geminos Philippos scriptum sit, voluntque alteris Philippis proprie dictos illos Macedonicos, alteris Pharsaliam significata. At, ut possit Pharsalia sub Philippis subiecta esse, quid commemorati sunt Thessaliae rogi, qui apertissimam de Pharsalica strage mentionem inferunt? Gemina vero morte quod ad alterius partis duces, non ad utrinque factam caedem, rettuli, id propter hanc caussam feci, quia non tam multis, quam Bruto et Cassio caesis illi campi nobilitati sunt.

25) An absurdius quidquam excogitari potest, quam quod isti re vera videntur sensisse, quinque his versibus poetam non Fortunae, sed suamet ipsius praesagia rettulisse? In quam sententiam nescio an eo sint inducti, *quod trepidantes aures* non convenire Fortunae opinarentur.

declamat Fortuna Romana) valde dubito, num vel Actiacum diem magis sibi gratatus sit otii datorem, quam perditorem libertatis luxerit. Quamquam quid loquor, ubi res loquitur ipsa? An connivisti ad rogorum[26]) fulgura exardescentium? an occalluisti ad cadavera tabe soluta? an aures non percussere arma strepentia, fugae tumultuosae, clamosae caedes? Ecce Gradivi per terras vecti vestigia, quibus poeta instans suum cuique loco horrorem conciliavit. — Ut itaque res illas, si per se consideraveris, belli civilis quosdam terminos possis dicere: ex sententia scriptoris non potes. Is autem quam uno omnes non terminorum, sed terricularum quarundam nomine voluerit haberi, id inde quoque efficitur, quod etiam res Libycas commemoravit, nec ullam in commemoratione sua temporis duxit rationem. Nam quodcunque factum est horum versuum ad chronologiae leges ordinandorum periculum, frustra omne fuit.

Quae quum ita sint, nec poematis, quos diximus, fines Fortunae illo vaticinio quidquam videantur prolati, non magis videbuntur sermone Discordiae, quippe quae rerum interpres bello civili ineunte gestarum prodierit. Atqui haec ipsa ad Pompeium conversa:

Nescis tu, Magne, tueri
293 *Romanas arces? Epidamnia nomina quaere,*
Thessalicosque sinus humano sanguine tinge.

Quid ergo? Pharsalicamne pugnam dicamus ad initia belli civilis auctorem rettulisse, an excessisse initia? Illud licet eo commendetur, quod Actium usque dispersam hanc luem

---

26) Quod rogos bello Fortuna tribuit, potestne eo reprobatum illud ab omnibus *cremare viros* (v. 110) defendi? — Si nil sit, sique nec Virgilianum *num incensa cremavit Troia viros?* (Aen. 7, 295) afferendum iudicetur, velim *ciere*, audentiore quidem coniectura, verum quam hae res commendent. Primum apparet, quum Dis Fortunam ad *ciendos* Romanos hortetur, (v. 95) respondentem illam eodem ciendi verbo usam esse posse. Tum *quippe*, quod utrobique, sive *cremare* retines, sive adoptas Gronovianum *armare*, languet, hoc *ciendi* verbo validum se praestat. Exerens enim quam habet ironiam lenius Ditem verbum in re atrocissima usurpasse significat. Denique quum in proximo versu *et* scribendum sit pro Sambuceo *est*, *ciere paene necessarium* est. Nam se et *ipsum* curare quid aliud Fortuna *dicere potuit*, quam quod Dis se curare dixerat, Romanos cieri?

supra significavit, tamen h. l., qui est de Caesare et Pompeio inter se dissidentibus, Pharsalica pugna in extremis belli civilis rebus deputetur oportet. Excessisse vero materiem suam idcirco scriptor existimari nequit, quia Discordiae ex persona dixit. Hoc quid velit, ne eadem res bis attingenda sit, infra explicabimus. Nunc versum illum interpretantes, non proelio Pharsalico enarrando, sed dilatandae et exaggerandae fugae Pompeii scriptum censemus. Ac tale quid iam Heinsio in mentem videtur venisse, qui alioquin non intelligo cur *tinge* verbum in *pingues* mutatum voluerit. Cui coniecturae sane est quod antiquiore ex historia petatur robur, nec displicet quidem, quam eadem efficit, metaphora paulo audacior; sed codicum quae omnium est scripturam praestat servare, cladeque illa ex Pompeii fuga repetenda hanc temeritatis summae in ignominiam pati excrescere. Qua interpretatione ne exciderimus eo securiores sumus, quum temeritatis, quam diximus, notae ipse auctor verbis *Epidamnia nomina quaere* proluserit. Epidamnia autem, non Epidauria, esse scribendum vel unum illud docet, quod confugit Pompeius ab urbe Epidamnum. Neque soli duo sunt codices, Pithoeanus et Bernensis, quos nostram in rem citemus testes, sed quicunque habent *nomina.* Namque haec scriptura ut ad Epidauria verbum omnino non convenit, ita Epidamnia si receperimus valde eam lectam longeque alteri, quae suppetit, *moenia*, praeponendam esse apparebit. Quo magis enim imprudentia, qua fugae se mandaverit Pompeius, eluceret, Epidamnum auctor et Romanas arces a nominibus inter se oppositas voluit. Cui oppositioni qui inhies surdaster, sic facito Discordiam cavillatam: *bene te Morboniae, qui Valentiae non litaveris*, vel, si malis germanico lusu,

weisst nicht in Wehrheims
Burgen dich, Grosser, zu halten? versuch's denn mit Namen
wie Schadau[27]).

---

[27]) Quam agimus caussam obtinendo duo potissimum loci veterum erunt, unus ex Menaechm. 2, 1: *propterea huic urbi nomen Epidamno inditum est, quia nemo ferme sine damno huc devortitur,* (quicum conferendum est quod Plinius in HN. 3, 23 refert, Epidamnum coloniam propter *inauspicatum nomen a Romanis Dyrrhachium* appellatam esse) alter Fe-

§. 11.

Sed tametsi poeta, quod sui maxime operis erat, non egit, ut totum bellum civile, aut integriorem aliquam eius partem persequeretur, tamen alia ex parte rem suam auxit. Nam ante quam Caesarem ab Alpibus moventem, fugae se committentem Pompeium faceret, mores Romanorum quam accepissent cladem descripsit. Itaque primum *luxuriae* nobis offertur imago, picta ea, ut videtur, coloribus sat vegetis, nunc vero situ obducta. Per quem ut quita sunt dignosci haec habeto. In contemptu iacent quorum facilis est copia, non accepta sunt oblectamenta usu vulgata. Aere Corinthio refulgent cubicula, nulla ex ostro iam voluptas[28]). Sordet Latialis toga, in Numidica Quirites et Serica Sabaeaque lana conspiciuntur[29]). Non annonam ex Afris naves advectant, sed famem bestiariae et mortem[30]). Tum Venus quam porten-

---

sti in Romae verbo: *Romam Romulus de suo nomine appellavit, sed ideo Romam, non Romulam, ut ampliore vocabuli significatu prosperiora patriae ominaretur.* Ac licet ad hunc Festi locum ea addere, quae idem de Valentia, ut nominis Romae archetypo, ibidem narrat.

28) Hanc sententiam in versu 9 et 10 inesse puto, quamquam purpura et aes Corinthium non intelligo qui contendi inter se potuerint. Contendissem ego cum aere illo aurum aut vitrum. Sed sequendi sunt codices. Hi vero etsi expressissimis quisque vestigiis ad aes Corinthium ducunt, tamen num Heinsianum illud *Ephyreiacum*, quod Orellius accepit, sit verum, valde dubito. Sed ut sit: non debuit Orellio hoc placere:

Aes Ephyreiacum laudabat miles; in Inda
Quaesitus tellure nitor certaverat ostro.

Quid est enim luxuriosum in eo, quod miles aes Ephyraeum laudat? In unda quod laudat, i. e. ibi, ubi sunt ostrea, id quidem luxus fastidiosi habet dedecus. Atque existimo ego duos hos versus ita inter se aptos, ut aeri quaesitus tellure nitor, laudabat verbo certaverat, undae denique ostrum respondeat.

29) v. 11 et 12: de quibus confer quae Antonius dixit, nec neglige versus 26 haec verba: *et tot nova nomina vestis.* His enim verbis, quae recapitulandi nos esse arbitramur, quominus, ut Antonius putavit, mulierum luxus vituperetur, quum hoc obstet, quod mulierum nullus in hac civitatis morum descriptione erat locus, tum etiam sequentia impediunt *quaeque virum quaerunt*, plane bene illa a Wernsdorfio explicata.

30) *Est haec* enarratio versuum 14—18. Eos Orellius sic scriptos vult:

tosa! quae immanitas eius! Cum maribus mares volutantur, in deliciis sunt excisorum greges[31]). Mensae denique nullae

Quaeritur in silvis auro fera, et ultimus Ammon
Afrorum excutitur, ne desit bellua dente
Ad mortes pretiosa; fame premit advena classes
Tigris, et aurata gradiens vectatur in aula,
Ut bibat humanum populo plaudente cruorem.

Non recessit Orellius a codicibus, praeterquam in tertio versu, ut ubi *fames* codices praebeant. Ac mutationem quidem Orellianam non diffitemur habere quo arrideat, sed quod idem in primum versum *auro* reduxit, id timeo ne cupidior quam consideratior fecisse videatur. In silvis enim quomodo fera quaeritur auro? Nos illic *Mauro* recipimus, sollers commentum Richardi; totum vero locum in hanc conformamus speciem:

Quaeritur in silvis Mauro fera, et ultimus Ammon
Afrorum excutitur, ne desit bellua danti
Ad mortes; pretiosa fames premit advena classes
Tigris, et aurata gradiens vectatur in aula,
Ut bibat humanum populo plaudente cruorem.

Dantem ad mortes aedilem dicimus, venationes Circenses facientem; tigris vero quidni *fames pretiosa* nominetur, i. e. is, qui non solum voracissimus fame nautas premat, sed etiam multis cum periculis comparatus plurimi constet? Contende sis cum hac locutione illud Martialis 3, 58, 45: *at tu sub urbe possides famem mundam*, et 10, 96, 9: *hic pretiosa fames conturbatorque macellus; mensa ibi divitiis ruris operta sui.*

31) Quibus haec accepta referimus versus 20—24 ita in Nodotiano libro perscripti exstant:

Persarum ritu male pubescentibus annis
Subripuere viros, exsectaque viscera ferro
In Venerem fregere, atque ut fuga mobilis aevi
Circumscripta mora properantes differat annos.
Quaerit se natura nec invenit.

Ergo dicuntur isti primum evirasse pueros, deinde eviratorum corpora duas ad res idonea fecisse, ad Veneris patientiam atque ad retinendum et conservandum vernum suum ac laevem nitorem. At hae duae res nonne castrationem ipsam subsequuntur, ita ut nullo sit alio ad eas efficiendas opus artificio? Certe de posteriori re, *mancipiorum negotiatores*, inquit Quintilianus, *formae puerorum virilitate excisa lenocinantur.* (Inst. Or. 5, 12, 17) Neque aptissime in hac interpunctione illa se habent verba *quaerit se natura nec invenit*, ut quae, quum nihil iis aliud, nisi spadonis corporis affectio, describi videatur, tamen a mentione castrationis seclusa compareant. Qua ego propter cum Antonio ab *atque* verbo exorsus sic insequor:

Atque ut fuga mobilis aevi
Circumscripta mora properantes *differat* annos,
Quaerit se natura nec invenit:

aliae placent, quam citreae[32]), neque hae, nisi toto terrarum orbe apposito.

---

i. e. etiam ob id, ut teneriores anni ne elabantur, pueri eo corporis vitio laborant, quo natura se quaerit nec invenit. In quo enuntiato illud ipsum inesse patet, quod dictum volebamus, Romanos propterea evirasse, ut mobilis aetas puerilis consisteret. Iam vero quod supra pueri, postquam exsecti fuissent, in Venerem sive ferro fracti, sive fracti dicuntur, etsi id quo valeat non satis intelligo, a codicibus non mihi sumo ut transversum unguem discedam; hoc unum dico, me poetam, tantum non exaequatis inter se sententiis, sic fere scripturum fuisse:

Persarum ritu male pubescentibus annis
Surripuere viros, nervosaque viscera ferro
In Venerem fregere.

Ceterum quidquid de universo loco statuetur, in versum tertium reducendum est *nobilis*, secundo autem versu, quum plerique codices *exactaque* praebeant, nescio an *exectaque* scribendum sit, radice verbi paululum obscurata.

[32]) De citro versus placet Orellianos cognoscere:

Ecce Afris eruta terris
Ponitur ac maculis imitatur vilibus aurum
Citrea mensa. Greges servorum ostrumque renidens
Quae turbant censum — o sterile ac male nobile lignum!
Turba sepulta mero circumvenit.

Ordo versuum est idem, quem in plerisque libris inventum plerique editores servarunt. Verum interpungenti Orellio quis adstipuletur? Improbamus nos quidem non tantum quod oratio altero trochaeo determinatur, sed etiam sententias illa distinctione effectas. Quarum sententiarum, quum eae duae sint, alteram, qua mensa posita et imitata dicitur, valde frigere censemus, alteram non assequimur qui latere Orellio potuerit quasi praepeditam membris aegre corpus suum trahere. Quum enim ea verborum dicamne compositio an coacervatio, qua *greges servorum ostrumque renidentem turbam sepultam mero* accepimus, tam molesta sit, quam quae maxime, tum interpositas inter haec verba enuntiationes, alteram adiectivam, exclamationem alteram, onerare potius, quam ornare orationem vel hebetissimus sentiat. Denique quod Orellius sic autumat: *hostile lignum, quae coniectura VV. DD. est, vix Petronii temporibus dici poterat citreum lignum, etsi interpretati esse videntur de temporibus Karthaginiensibus ac Iugurthinis*, neque de codicibus satis diligenter quaesivit, (nam in Memmiano et Colbertino *hostile* invenitur) neque complexus est animo, ut debebat, notionem hostilitatis omnem. Spreta igitur nos Orelliana ope non secus ac reliquorum interpretum totum locum hoc exemplo constituimus:

Ecce Afris eruta terris
Citrea mensa, greges servorum ostrumque *renidens,*
Quae censum trahat, hostile ac male nobile lignum,

A luxurie auctor ad *avaritiam* transit, quam exordio poematis strictim notatam, et eam quidem, quae foris esset tumultuata, iam Romae in viscera ducit. Ad quaestum itaque et lucrum tum comitia videmus, tum senatum se fingere totos, venaliaque esse suffragia et sententias. Non promerendus iam favor, verum est emendus, patrum non secus ac plebei. Ipsi enim senes, qua liberos se praestarent neque suis servos cupiditatibus, eam exuerant virtutem, corruptaque auro potestas iacebat et maiestas. Repulsam a populo fert Cato, nequitiae fasces deferuntur[33]).

Ponitur, ac maculis mutatur vilibus aurum.
Turba sepulta mero circumvenit.

Mutatur (i. e. wird weggegeben) nos adoptasse non improbabit, qui hoc secum reputaverit, non veri simile esse, ut, quae aurum pretio longe anteisset, citrum poeta aemulam auri perhibuerit. Quid, quod *imitari* tenuius etiam quid sonat quam *aemulari?* Sed recepto hoc mutandi verbo quae coorta est sententia, quum epigrammaticum quendam aculeum haberet, extrema nobis collocanda visa est, ita ut orationem concluderet. Cui collocationi quod externo sit praesidio, etsi nullus codex, potest tamen id afferri, quod hic ipse versus, de quo loquimur, erro quidam in codicibus vagatur. — De tertio nostro versu, quoniam is attingendus saltem est, non dubitamus, quin quivis eum concessurus sit si non bonum, at certe non peiorem per nos, qui ex codicibus dependerimus, evasisse, quam ante, praeter codices habitus, se dederit.

33) Agedum ipsum audiamus poetam:
Nec minor in Campo furor est, emptique Quirites
Ad praedam strepitumque lucri suffragia vertunt; 40
Venalis populus, venalis curia patrum.
Est favor in pretio: senibus quoque libera virtus
Exciderat, sparsisque opibus conversa potestas,
Ipsaque maiestas auro corrupta iacebat.
Pellitur a populo victus Cato: tristior ille est, 45
Qui vicit, fascesque pudet rapuisse Catoni.
Non homo pulsus erat, sed in uno victa potestas
Romanumque decus.

Desiderasne in his aliquid? Immo, existimo, si situm nos ac mucorem pro antiquitate amplexantes, Iano Broukhusio non obedissemus, ipse eiiceres, qui septimus et quadragesimus in codicibus extat, hunc versum: *Namque hoc dedecori est populo mórumque ruina.* Sed licet hunc versum ut grammatici alicuius interpretamentum eius sententiae, quae proxima ipsum antecedit, removerimus, eundem non contemnendum interpretamentum indicamus: *poeta vero quod fuisse* dicit quae dicenda erant esse debuisse, (nam triste

Haec poeta de moribus. Iam ita pergit:

Praeterea gemino deprensam gurgite[34]) *pridem*
Fenoris illuvies ususque exciderat[35]) *aeris.*
53 *Nulla est certa domus, nullum sine pignore corpus,*
Sed veluti[36]) *tabes, tacitis concepta medullis,*
Intra membra furens curis latrantibus errat.

His versibus novum aliquod malum, quod super avaritiam et luxuriem Romanos affecerit, describi, in oculos incurrit. Quam rem vel uno verbo *praeterea* (cf. Heind. ad Hor. Serm. 1, 1, 23) satis declaratam ne esset quidem cur attingerem, nisi usum aeris *luxum*, fenus *avaritiam* Antonius interpretatus, nova calamitate prorsus negata, horum vitiorum vim adauctam

---

populum et pudibundum perhibet) id quidem non magis nobis placet, quam ambiguum illud *est favor in pretio.* Cetera sint perspicua, modo teneatur, quod interpretes non tenuisse videntur, maiestatem ad externas Romanorum res, ad domesticas pertinere potestatem. Ex quo existit, ut, quum Catone pulso *victa potestas Romanumque decus* dicatur, hoc dicatur, eum pulsum esse, per quem Romani domi iustitia, foris reverentia atque auctoritate gavisuri fuissent.

34) Gurgitem Wernsdorfius est locum interpretatus, quo deprehensa Roma esset, iussitque nos Horatianum illud conferre *in patenti prensus Aegaeo* (Carm. 2, 16) et Virgilii (Ge. 4, 421) *deprensis olim statio tutissima nautis.* At vero praeter gurgitem illum quae erat tempestas, qua deprehensa Roma in novam incidisse cladem diceretur?

35) H. Stephanus *exederat* coniecit scribendum; scripserunt Nodotius, Burmannus, Wernsdorfius. Sed corruit haec coniectura cum verbo *praedam*, in cuius locum altera, quae exstat, scriptura recte a Tornaesio et Antonio est suffecta. Nam *pridem* Romam luxurie et avaritia necessum erat esse correptam, quum calamitate ex illis consequa affligebatur. *Excidere* autem perquam apte h. l. id dicitur, quod homines dicebatur *trucidare.* (Cic. pro Coel. 18, Liv. 6, 37) Ac *navim* (cf. Hor. Carm. 1, 14) fenus perditurum haud inepte *illuvie* (cf. Iustin. 2, 6) instruitur, qua *gurgiti* fenus aequiparari interpretes non adverterunt. Accedit, quod fenoris non tam voracitatem (id est enim *ingluvies,* quae proposita a Colladonio mutatio nullo uno codice confirmatur, quamquam alias codices his verbis variant, ut Ter. Eun. 5, 4, 15 et Colum. 7, 10, 6) quam vim late evagatam (cf. sequentem versum) auctor intelligi voluit.

36) *Veluti* nihil aliud h. l. est, quam antiquiorum *quasi,* seu index quidam translati verbi *tabis.* Quod propterea monui, ne quispiam, quid dicatur *errare,* desideret. An manifestam mavis comparationem? Ecce, praesto *est pignus,* ex quo, quae generis est, notionem inopiae eruas.

videretur voluisse, ita ut, ante quae deprehendissent, eadem iam excidisse dicerentur. Huic sententiae quam nihil non adversetur me quidem taedet explicare; unum hoc dico, aut usum pro usufructu, aut, Wernsdorfio quod visum est, aes pro alieno esse aere scriptum. Nam admittit verborum contextus utrumvis, alterutrum vero exigit. Quamquam tertium quid, quo commercium quoddam aeris sumas, nescio num omnino sit reiiciendum. Sed utut hoc est, a feneratoribus inflictam civitati plagam h. l. commemorari liquet. Quam plagam esse *inopiam*, quum elicere sit ex posterioribus his versibus, quibus indigentia seu aegritudo ab inopia orta depingitur, tum 57 versus testatur.

§. 12.

Sed bellum illud civile poeta descripturus quaeritur hac narratione sibi quid voluerit. Quae narratio primum ad quod pertineat tempus, si aliunde minus apparuerit, explosae virtutis exemplum ex Catonis vita petitum satis declarat[37]). Rediit enim poeta in memoriam eius temporis, quod proxime a bello civili aberat. Unde qui professus non annales esset, hoc et illud eum suspicere ita composuisse, ut interno quodam vinculo copularet. Nec deest istaec copulatio. Nam sub finem huius prooemii sic poeta:

Hoc mersam[38]) *coeno Romam somnoque iacentem*
Quae poterant artes sana ratione[39]) *movere*, 59

---

37) Catonianae rei etiam annum est edere. Nam Plutarchus de Pompeio et Crasso consulibus dicens *πολλῷ*, inquit, *χρησάμενοι τῷ δεκασμῷ, τοὺς βελτίστους ὤσαντες ἐκ τοῦ πεδίου, βίᾳ διεπράξαντο Βατίνιον ἀντὶ Κάτωνος αἱρεθῆναι στρατηγόν.* (Cato Min. 42) Esse autem hanc Plutarchi narrationem ad poetae verba explicanda adhibendam tum docebimus, si id erimus postulati.

38) Antonius scripsit *haec mersant*, quod etiam in Bernensi est codice. Verum non id auctor nunc agit, ut mersam Romam perhibeat, sed mersae (cf. v. 51) ut exponat quid factum sit. Qua autem via manus scriptoris corrupta sit, ex Traguriensis illo et editionis primae *hoc mersant* licet videre.

39) *Sana ratione* Antonius in indice cum sequenti verbo coniungit. *Qua* verborum coniunctione significatur artes fuisse, quae movere quide

Ni furor et bellum ferroque excita[40]) *libido?*

Hi versus ut habent, quo et ad antecedentia referantur et ad sequentia, ita tu nullus eos prooemii esse cum poemate ipso connectendi negabis. Quis est autem, in quo sit sensus, qui *bellum* non sentiat esse civile? quis est, quin *coenum* de luxuria et avaritia inopiaque dictum intelligat? In inopiam igitur et avaritiam ac luxuriam Romam ingurgitatam ita, ut somno devincta videretur, nulla alia arte, nisi bello civili, poeta dicit quitam esse suscitari. Qua sententia primum Romam liquet eam designari, quae suscitanda fuerit. Nam alioquin non, quae suscitarent, artes commemorarentur. Deinde vero, suscitare quod potuisset, unum bellum civile perhibetur fuisse. Praeter hoc itaque quum negaverit auctor quidquam fuisse, quod suscitare eam potuisset, quae suscitanda fuisset, consequitur, non solum ut bello civili Romae dixerit opus fuisse, sed etiam ut luxuriam et avaritiam inopiamque, quae caussa suscitandae Romae fuissent, ipsius belli civilis, quo uno Roma suscitari potuisset, caussam prodiderit. Ex quo efficitur, quod

---

potuissent, sed ratione movendi non sana, i. e. insana, seu ea, quae insanae esset mentis. At vero has poeta artes cur respuit? quidque erat, quod Romam tam gravi torpentem veterno non quocunque modo pateretur moveri? Dices historiam eum secutum esse, quae, quod sana ratione movisset, bellum civile suppeditasset. At hoc ipsum bellum non deest caussa, cur insana movisse ratione dicamus. Denique, plus uno modo quod moveri posse indicatur, id vide quam non difficile motu indicetur. Atqui difficultatis, quam movendi esse poeta voluerit, satis perspicua est significatio. Quid ergo? Ni omnia me fallunt, cum *poterant* verbo illi ablativi coniungendi sunt, ita ut artium vis non re vera esse explorata, sed sanae eorum rationi, quos appellat auctor, exploranda relinqui perhibeatur. Nam videtur locus sic transferendus: *Romam accepisti qualis fuisset. Iam suscitandae eius potestatem ac vim quibus, praeterquam bello civili, artibus sanam secutus rationem tribueris?* Nec absimile hoc Livii est 34, 50: *mille ducentos ea ratione Achaia habuit.*

[40]) Ita Scaligeri codex; ceteri aut *excisa*, aut, quod Zumptius in gramm. §. 189 negat latinum esse, *excissa* offerunt. Verum libido hoc loco qui tolerari possit eadem, quae coeni verbo subiecta est, equidem non assequor. Deinde qui locum dederit furori, eum extirpanda de libidine vix consentaneum est cogitasse. Sed hanc libidinem cave potentiae aut regnandi cum *Antonio dicas.* Auctoris si definitio, qua divitiis excitam libidinem videtur *respexisse, non* satisfecerit, tu, suadeo, caedis libidinem sumas.

consentaneum erat effectum iri, de luxuria et avaritia inopiaque narrationem idcirco huic poemati praemissam esse, ut, qua ratione bellum civile ortum fuisset, appareret. Cuius oriendi viam se munivisse adeo sibi conscius est poeta, ut, interrogatione usus, lectores his versibus tamquam iudices appellare nullus dubitaverit. Qui iudices ut surgamus, quum fuerimus lectores, in antecedentibus quae iacta sint belli civilis quasi semina, nunc exquiramus.

§. 13.

Tres esse res, luxuriam et avaritiam inopiamque, de quibus scriptum sit prooemium, vidimus. Et ab avaritia quidem, quae statim ab initio poematis notatur, ad luxuriam auctor transit, a luxuria revertitur ad avaritiam, postremo de inopia dicit. Qui ordo ut offendit primum inspectus, ita, diligentius si expenderis, simplicem eum reperies et aptum. Namque aliorsum spectat quae priori loco, aliorsum, quae posteriori exhibita est avaritiae descriptio. Haec enim, ut ostendimus, ad Romanorum res internas, illa pertinet ad externas. Qua proponenda primum id sibi voluisse auctor videtur, ut esset via, qua commode ad luxuriam iret. Nam oportebat eum, qui avaritiam Romanorum tantam fuisse tradidisset, ut vix orbe terrarum expleretur, (v. 1—3) huius immanitatis idoneam afferre caussam. Hanc igitur perhibet luxuriam, partae prodigam rei. Sed in hac effingenda dum diutius nec sine quodam studio versatur, sensim in aliam nos rerum scenam defert. Mox enim sequi omittimus, qui praedatum exeunt, nec iam pervagamur barbaros aut proelia[41]) inimus, sed media in

---

[41]) Dico illa proelia, quibus Romani cum barbaris, quos depeculaturi essent avari, conflixerunt. Eorum proeliorum mentionem, non involutam illam quidem, sed nulli uni interpretum animadversam, necesse est omnem exponamus. Igitur vix exorsus poeta

si quis sinus, inquit, *abditus ultra,*
Si qua foret tellus, quae fulvum mitteret aurum, 5
Hostis erat, fatisque in tristia bella paratis
Quaerebantur opes.

Tristia bella interpretati sunt civilia: debebant ea, quae ob praedas gererentur. An antecedens illud *hostis erat*, ex quo aptam patet de tristibus

urbe constituti, totos in contemplando luxu, qui omnes illas turbas dederit, detineri nos patimur. Quod poeta sic, ut significavimus, enisus non inopinantes sperare nos poterat ad eam travectum iri avaritiam, qua Romani inter se perdidissent. Nam primum luxus descriptioni quid subiungeret aptius, quam id vitium, cui cum luxuria quasi quoddam connubium esse ipse proludendo nos docuisset? Deinde vero compilatis, qui luxuriae sumptus suggererent, exteris, hoc restabat unum, ut Roma sibimet ipsi manus inferret avaras. Atque hoc ut videretur unum restare, id alterum est et primarium, quod poetam in commemorandis exterorum illis cladibus spectasse dicas.

Missa itaque, quae priori loco facta est, avaritiae mentione, utpote quae propria vi careat, apparandaeque sit rei, quae agitur, ad reliqua prooemii nos convertamus. Quaeritur enim, quid luxuriam, quid avaritiam, quid denique inopiam auctor ad bellum valere civile voluerit. De *inopia* ut primo videamus, hanc ille claris et apertis verbis caussam belli civilis prodit. (v. 56 et 57) Et duplex quidem ratio est, quam secutus ab inopia hoc bellum derivavit. Nam inopibus dicit idcirco arma placuisse, quia et essent spe rapinarum ducti, et damnorum metu vacassent. Quippe in sagis quas facerent iacturas, qui togati sui ipsorum iacturam fecissent? (v. 53: *nullum sine pignore corpus.*) Et luxuriosi, quos facultas libidinum explendarum, non libidines deseruissent, ii quid sectarentur aliud, quam, quibus facultas illa recuperaretur, praedas? Recte igitur et probabiliter poeta inopiam dicit id effecisse, ut Romani ad bellum civile propensi essent.

---

bellis sententiam, non hoc valet, terrae illi a Romanis bellum destinatum fuisse? Sed ut tristia bella sint civilia: quae tertii decimi versus sunt *clades et laesae vulnera pacis*, ea doce, quaeso, quam civilis belli significationem habeant. Equidem Afris inflicta vulnera interpretor. Sic enim res concipienda est mente, non emisse Romanos bestias, sed Afros armis adegisse, ut caperent captasque ipsis traderent. Quid, quod altero et tricesimo versu

omnia orbis
Praemia correptis miles vagus extruit armis?

Coecum se professus erit, qui ne hoc quidem versu id effici dabit, quod defendimus, Romanos, ut avaritiam suam explerent, bella exteris intulisse dici. *Quo eodem spectat* nono versu commemoratus miles, non, ad quod interpretes *voluerunt*, ad *luxuriam*, cui milites se dederint.

Iam idem de *avaritia* quae scripsit his determinavit verbis:

Quare tam perdita Roma
Ipsa sui merces erat et sine vindice praeda. 50

Haec quomodo ex antecedentibus sint apta, sub oculos cadit. Nam referuntur ad illa, ut ad caussam suam. (*Quare*) Atque ipsa sui merces quod Roma fuisset et sine vindice praeda, id poeta inde factum dicit, quod avaritiae vi et potestas Romanorum et maiestas esset subversa. Ex hoc ergo rei publicae statu, quo leges non audirentur, neque respiceretur civitatis dignitas ac decus, alius perhibetur enatus, is, qui illis verbis significatus est. In quibus verbis interpretandis primum ne praedam ad opes urbis trahamus est cavendum. De bonorum enim direptione seu de rapinis, quas vulgo dicunt, quominus hic cogitetur, id obstat, quod avaritiam auctor in ipsam direxit civitatem. Civitas igitur, quam iam apparet Romae nomine comprehensam esse, ipsa sui merces fuisse proditur. Id autem quid sit, hac fere via reperias. Mercedis verbo quae subiecta est notio quum manca sit, quo suppleatur ei opus est verbum. Id verbum est *sui*, sed non ipsum per se, (nam Romae verbum quo mercedis notionem suppleat non habet) sed assumendum est quod antecedit *tam perdita*. Pro hoc enim quum substituere sit *avara*, ecce emergit, quod impensum quid praeferens mercedi dat locum[42]). Nam mercedem iam liquet id dici, quod Romae pro opera, quam avara impenderit, repensum sit. Quam operam quum impenderit avara seu sectata suum ipsius commodum, efficitur ut ipsa se remunerata sit. Atque id poeta per epexegesim quandam lectoribus inculcans succinuit *sine vindice praeda*. Cuius locutionis partem alteram recte Antonius cum mercedis verbo composuit; *sine vindice* autem manifestum est reciproci, vel, ut nunc loquuntur, reflexivi vicem implere. Ipsam enim sui praedonem Romam quis vindicare aut potuisset aut voluisset?

Iam vero hoc, quod extricavimus, ipsum sui praedonem

---

42) Merces est id, quo impensum quid compensatur. Desiderat ergo, quo ipsa sit, esse aliquid impensum. Iam avarum quum dicimus quid audiatur impensi, non difficile est dictu. Impendit enim, si fas est ita loqui, in pecuniam avarus voluntatem.

esse, quam nihil sit aliud, nisi designatio belli civilis, nemo non videt. Nam praedatio quum locata sit in auferendo per vim, apparet, se Romam et vi aggressam dici et abstulisse. Et illud quidem adeo est hostium, ut ad exprimendum, quod expressum auctor voluit, solum sufficere potuisse videatur. Tamen auferendi, quae addita est, notio non otiosa est. Immo adiectam scito significanter. Quippe civitas, si qua sibimet ipsi se praebet hostem, facere non potest, quin auferat se, aut quin illud sibi demat, quo coepit esse civitas. Rem autem, ut nunc est videre, non momentaneam quandam et citam poeta dicens, sed tardam, quaeque aliquantum temporis implesset, recte usurpavit *erat*, in quo eodem id quod expectaveris *facta est* inesse[43]), ipsum illud, ex quo expectaveris, *quare*, indicat.

Itaque ut inopia animos, sic avaritia auctor rem publicam Romanorum ad bellum civile paravit. Ac deserendis aut iniuste atque avare rebus gerendis iis, quibus multitudo illa, quam, et iuris consensu, et utilitatis communione sociatam, populum seu civitatem vocant, continetur ac viget, facile patet civitatem eo redigi, ut dissociata in turbam inconditam abeat. Quo quae delapsa sit civitas negari non poterit bello civili matura esse.

Pervenimus ad *luxuriam*. In qua describenda quamquam maxima pars prooemii consumpta est, nusquam tamen auctor ad bellum civile deflexit. Quo deflectere eum vetuit natura huius vitii, quae alienissima a laboribus arma reformidat. Nihilo tamen secius suo luxuria loco est. Certe qui totam rem avaritia conficere et inopia instituisset, ita ut duabus his rebus omni ex parte Romam, et ab animis civium, et a re publica, bello paratam civili doceret, non male fecit poeta, quod vitii rationem eius habuit, a quo tamquam a stirpe sua hae illius belli caussae quasi progerminassent. Et inopiam quidem ipse versu 56 e luxu dicit exortam; avaritiam vero derivandam lectoribus reliquit. Quos ad eundem illum fontem redituros

---

43) Plane ut apud Ovidium Am. 3, 4, 22:

In thalamum Danae saxo ferroque perennem
Quae fuerat virgo tradita, mater erat.

esse, iure poterat eo magis suo existimare, quo diligentius in adumbrando luxu id erat secutus, ut Romanos intelligeretur idcirco avaros fuisse, quia luxuriosi fuissent. Atque interposita luxus descriptione inter avaritiae, plane coecutiat, qui poetam non videat, quo tetenderit. Est enim omnis haec prooemii pars ita ex sese apta, ut primum caussa effectum, (avaritiam barbaros depeculantem luxuria) deinde effectus caussam (luxuriam avaritia domestica) sequatur.

§. 14.

Apparet igitur poetam in prooemio non solum res explicuisse eas, a quibus bellum civile quivis derivare posse videretur, sed etiam ipsum derivasse, seu subiecisse esse illud inde ortum. Ac facultate quidem belli movendi quia inopiam instruxerat et avaritiam, post deinde illis versibus, quos extremos esse prooemii vidimus, (58—60) pro certo lectores potuit sumere de necessitate belli civilis nullos iam esse addubitaturos. Id ipsum autem num recte sumpsisset ibamus quaesitum. Sed alteram idem opellam quod impendit, eam, qua institutam et de avaritia et de inopia orationem suo utramque loco perhibuit quo valeret, propter hanc caussam inconsideratius queat videri illam prooemii clausulam addidisse. Quam existimes non tantum supervacaneam esse, sed etiam ineptam. Quod etenim in antecedentibus sit factum, quippe ubi iam omnem poeta rem in bellum produxerit, id inutiliter hic iterum fieri, neque non negligi ac tolli[44]) quae illic belli declaratae fuerint caussae. — Haec qui dixeris sic accipe, una poetam h. l. comprehensione esse complexum, de quibus supra exposuerat singillatim. In qua re quum proficiscendum ei ab aliquo generali verbo esset, recte id ex communi illarum belli caussarum natura repetivit. Quam *coeni* verbo plane et perspicue significatam proprius ac satis frequens huius metaphorae usus evincit. Nam et in perditos mores et in fortunae humilitatem quaecunque essent immunditiae verba Romanis constat pla-

44) *Etiam tolli. Nam verendum est*, ne cui hac clausula bellum civile *extrinsecus Romae atque foris illatum* tradi videatur.

cuisse transferre. Tamen quum vitiorum in antecedentibus potior habita sit ratio, haec etiam hic auctorem magis quam inopiam respexisse probabile sit. Qui nescio an ob id ipsum hunc prooemio esse exitum voluerit, ut, quam antea non potuisset, artiore quodam vinculo luxuriam cum bello connecteret. Certe praeter eam, quae his inita est versibus, nulla erat via aut ratio, qua duarum harum rerum quasi quoddam efficeretur connubium.

Sed ascita illa translatione, mergendi verbum facile est videre quam fuerit necessarium. Quod, ut coenum, quodammodo iam versus 51 praeiverat. Mersam autem poeta Romam quod etiam somno fecit iacentem, videtur id propterea fecisse, ut, hoc ipsum mersum esse quam haberet, impeditionis cuiusdam ac languoris significationem expressius efferret. Nam quum sequenti versu Roma proponatur movenda, ante immota sit dicta oportet. At immota vel vincta somno, inquies, qui potuit Roma dici non abolito qui versus est undequadragesimi furore? Quo verbo, non solum mentis ad omnia coecitatem, verum etiam enatam inde agendi quandam nimietatem ac vehementiam sonante, quum notata sint et luxuriosorum et avarorum ausa, his iisdem desidiam videri non aptissime esse attributam eam, qua dormientium similes fuissent. Audio; sed difficultas, si qua est, eo evanescit omnis, quod istic quales ad vitia, hic quales ad rem publicam Romani se praestiterint indicatur. Ac cives ut sint industrii, tamen si suis quisque rebus student, nulla in publicis cura posita, non temere summa torpere desidia existimabuntur. Quam desidiam, non, quod interpretes voluerunt, coenum vel vitia, bellum civile Romanis excussisse dicitur. In quo dicto vide quanta et quam rei accommoda insit acerbitas. Nam Romani, quum dicuntur bello civili esse commoti, mutasse desidiam suam cum bello civili dicuntur. Atque desidiam illam vidimus ad rei publicae administrationem pertinere. Ita efficitur, quo nihil quidquam dici quitum est acerbius, hanc Romanos rei publicae curam egisse, ut bellum facerent civile. Qui iidem quod, nisi hoc modo, rei publicae admoveri seu ex desidia sua excitari potuisse negantur, eo perhibentur ad *bellum civile* fuisse propensi. Ex quo consequitur, ut hac pro-

oemii clausula non eversae aut neglectae esse videantur, quae supra belli allatae sint caussae. Immo expressas has ante oculos tibi furor ille ac ferro excita libido, quibus poeta verbis civile se bellum loqui significavit, posuerint. Nam furiosis et libidinosis, qui traditi sint Romani, facile intelligas id arrisisse unum, quod ipsum libidinem haberet et furorem.

§. 15.

In iis, quae proximis his paginis disputavimus, si obscurius quaedam aut laboriosius disputata videantur, quamquam sunt nulla, certe non ea videbuntur, quibus caussas et initia belli civilis hoc poemate exponi demonstravimus. Quas duas res a poeta tractatas vel is reperiat, qui velociori eum quam diligentiori oculo perlustret. Unde mirationem non modicam facit extitisse, qui separatim poema evulgantes *de Romanorum* vel *vitiis* vel *luxu* vel *pessimis moribus* inscriberent. Quos iam patet non modo illud, quod tritum est proverbio, de potiore fieri parte denominationem, ad caussam suam defendendam usurpare non posse, sed etiam se confiteri oportere, omnem illam de moribus querelam, quo valeret, non perspexisse. Neque aptior est, quam magnus Scaliger Wernsdorfio praeivit, inscriptio *de mutatione rei publicae Romanae*. Nam etiamsi bello illo vel oboriente rem publicam non temere dicas mutatam, (nam siluerunt inter illa quoque arma leges) nullus tamen, credo, rei publicae mutationem bellum civile interpretatus sis. Tum vero poeta tantum abest, ut ex bello unquam respectet ad rem publicam, ut totus in bellicis rebus detineatur[45]). Sed fortasse ne hi quidem, titulum poemati quaeren-

---

45) Videamur huic disputationi eam debuisse praemittere, qua quae poemati subesset sententia explicaretur. Atque dixissemus de ea sententia, nisi dicendum ibi iudicaremus, ubi, quam significavimus, de Pharsalia Lucani quaestionem haberemus. Tamen ne quis quid desideret hic loci, placet posterioris disputationis nunc velut primas lineas ducere. Igitur bellum aliquod aliquis versibus persecuturus num debet una belli persequi caussas? Immo si persequetur caussas, extra rem facere videbitur. Atqui hic poeta nihil se aliud, nisi bellum civile, cantaturum professus, caussas illius belli non praetermisit. *Quid* ergo? Ut id extra rem fecisse ne videatur, bellum

tes, ultra exordium eius, cui primas et ipsi existimarent deferendas, — et detulisse se Wernsdorfius tantum non ediserit P. L. M. t. III p. LVI — progressi sunt, ita ut sint in eundem prorsus numerum ascribendi, atque superiores illi. In quem numerum non consideratorum hominum eo magis ascribendi sint, quum ne pertineat quidem totum exordium ad rem publicam, sed perpauci, ut vidimus, sint versus, quibus, de avaritia scriptis, conversam auctor illam tradit. Quoscunque vero explosimus adhuc, ineptae quemque inscriptionis auctorem, omnes illi eo videntur decepti, quod, in quibus poema hoc esset, satiris nisi acerba illa morum censura non connexum esse opinarentur. Ab illa itaque ut ipsum, tamquam a parte iam primaria, non potuerunt non denominare, ita etiam factum, ut Hermannus Buschius et Wernsdorfius satiram idem venditarent [46].

---

necesse est expositione tota rem declaraverit eam, quae nisi caussis ipsis expositis, exponi non potuerit. Iam caussas belli eum vidimus res, quae poenas ferrent, luxuriam Romanorum et avaritiam, perhibuisse; civile vero bellum quis sit, qui, quum quodvis bellum triste sit, hoc non summum esse malum, quo affici queant civitates, det. Unde facilis est coniectura, poetam in eam sententiam de bello civili dixisse, qua Romani poenas flagitiorum suorum persolvere intelligerentur. In quam sententiam si re vera dixit, (et dixisse eum inferiore illo loco demonstrabimus, quo eodem loco, num probum hoc atque iustum epico poemati subdiderit fundamentum, quaeremus) igitur si caussis belli et bello ipso una narratione complectendis hoc secutus est poeta, ut poenas suas luentem civitatem faceret: de genere nec poenarum nec flagitiorum ullam difficultatem habet statuere, quod ei genus adhibendum fuerit. Ac poenarum quum tria in bello inessent genera, unum afflicta res publica, alterum caedes et rapinae et incendia et alia quae eiusdem sunt generis, tertium utraeque hae res consociatae, poeta, id quod et ipsum infra explicabitur, altero tantum genere usus est, ita ut, omissa re publica, solis corporibus et fortunis cives punitos traderet; flagitiis vero, quibus civitas poenas commeruisset, ante oculos est, nullis aliis locum fuisse, nisi quae aequo ad omnes cives modo pertinerent. Quod ob eam caussam monuimus, ut novum, si quid opus foret, argumentum extaret, quo versus 61—66, quos eiecimus, haud temere a nobis eiectos vinceremus. Ut enim quam triumviratus mentionem desiderabamus, eam sex illi versus habere probarentur, vetat sententia poematis, ne in caussas belli flagitium a solis tribus viris factum admittamus.

[46]) Venditarent vero. Nam recepit alter in *satyricos* suos *minores*, alter *satiram de vitiis Romanorum* inscripsit. Quibus duobus viris ne ter-

Quae si probabiliter coniecimus, iam nostrum erit docere, poema, si sit in mediis satiris, non eo esse, quod a satira ordiatur, sed esse aliud quiddam, quod illum ei locum dederit. Verum hoc docere quum nequeamus, quin, quae in altera parte commentationis huius proponenda sunt, anticipemus, in alteram illam partem reservamus, nunc quidem, num exordium poematis satira sit, inquirentes.

Si vera sunt, quae, satiram finiens, Diomedes grammaticus dicit, *satiram esse carmen maledicum et ad carpenda hominum vitia archaeae comoediae charactere compositum*, id carmen, quod satira sit, non maledictionem tantum sive vitiorum castigationem necesse est habeat, sed factam eam ad priscae comoediae exemplum. Iam castigationem vitiorum in prima illa parte huius, de quo agimus, poematis inesse, luce clarius est: quaeritur, num ea castigatio archaeae comoediae characterem referat. Eius characteris autem quum exemplar extent Aristophani fabulae, tum Horatius hoc fuisse quasi fundamentum perhibet, (Serm. 1, 4, 1—5) ut *quae praesentia se darent* [47]) vitia notarentur. Itaque super hac vitiorum castigatione pronunciaturo ecquid quae castigata sunt vitia alius sint aevi, atque eius, quod bello civili antecessit, explorandum erit. Apparet enim, si alius aevi vitia reperiantur, ea censenda esse eius aevi, quo poeta scripserit.

---

tiam adiungeremus Baehrium, qui et ipse in satiras poema rettulit, (in Geschichte der Römischen Literatur, p. 219 edit. 2) impedivit, quod is id non lecto fecisse poemate nobis visus est.

47) Dicit enim *erat*, non *fuerat*. Atque emendare mores hominum quum propositum sit satirae, qui possit ea in praeteritis vitiis reprehendendis versari? Immo ex reprehensis vitiis certissimam de tempore scriptae satirae coniecturam fieri putamus, ita ut, si satira in pelargophagiam ab aliquo Romano scripta inveniatur, ea satira, quum ciconias apud Plinium sit (H. N. 10, 23) dumtaxat circa Augustanum aevum in coenas expeti solitas esse, illi tempori assignanda sit. Quod exemplum posuimus, ut esset, quod proluderet ei disputationi, qua, qui a Petronio c. 55 §. 6 afferuntur, versus Publii cuiusdam a Syro illo Publio facti probarentur, falsusque cognosceretur Orellius, *alius plane Publii ac mimographi* eos in Poet. Vet. Lat. Carm. Sentent. P. 1 p. 283 opinatus. Redolet enim in cacabo nidulans ciconia, quae illic dicitur, aevum Publii Syri; quae ipsum redoleant, quaeque mimum, ita ut iam aliquanto *maius, quam reliqua* sunt mimographi huius fragmenta, *acceptum nobis gratulari liceat*, alio loco explicabimus.

Illam igitur nos rem exploratori primum hoc dicimus, per luxus adumbrationem castigata vitia, quae sola in hanc explorationem vocari possunt[48]), magnam partem ea esse, quae ad proxime antecedens bello civili aevum referri non nequeant. Notum est enim, quanto tum opere et aes Corinthium appetiverint, et feras in ludos Circenses conquisiverint, et mensis citreis delectati sint, et ostreas Lucrinas esuriverint. Nec immanitatem illam Persicam alienam ab illo aevo dixerim. Certe P. Clodius *semper secum scorta, semper exoletos*[49]), *semper lupas ducebat.* (Cic. pro Mil. 21)

Restant tria luxus genera, unum vestitus peregrinus, alterum scarus Siculus vivus ad mensam perductus, tertium phasianae in epulis appositae. Haec tria luxus genera ei aevo, quod ante bellum civile erat, attribui posse negamus. Ac de vestitu quidem, puto Sericis vestibus aut incipiente Tiberii imperio, aut non multo ante id tempus viros[50]) uti coepisse. Qua de re haec habeto. Nomen *Serum* in Augustani demum aevi scriptis invenitur. Ac duplex quidem commemoratorum illic Serum est ratio. Apparent enim et populus ab Octaviano tantum non perdomitus, et ii, ex quibus lana tenerrima veniat. De perdomitis Seribus nihil hic attinet explicare, lanarios vero Virgilius his denotat verbis: (Ge. 2, 121) *quid* (referam) *nemora Aethiopum —, velleraque ut foliis depectant tenuia Seres?* Dicit igitur Virgilius, in Serum terra nasci arbores lanigeras, de quibus illos lanam legere. Qua lana Romam advecta[51]) et culcitas tum farciebant, et texebant vela. Illud

---

[48]) Nam avaritiae descriptio quum priscam rei publicae formam prae se ferat, tum Catonem sistens antecedentia bellum civile tempora manifestissime sibi vindicat.

[49]) In hac ego sum sententia, exoletos nullos alios esse, nisi quos poeta loquatur, ob patientiam stupri castratos pueros. Quos pueros hoc nomine, quod *adultos* sonaret, per euphemismum appellatos non mirabitur, qui sexu eos adultos videri potuisse reputaverit. Nam desierant sexu crescere.

[50]) Cur viri sint cogitandi supra in annotatione 29 explicuimus.

[51]) Non vestes ipsas ex Seribus petitas esse, sed tantum lanam in vestes, haud obscure Plinius significat H. N. 6, 17: *primi sunt — Seres, lanicio silvarum nobiles, perfusam aqua depectentes frondium canitiem; unde geminus feminis nostris labor*, redordiendi fila rursumque texendi

Horatius significat Epod. 8, 15: *inter Sericos iacere pulvillos amant*, hoc Propertius 4, 8, 23: *Serica nam taceo volsi carpenta nepotis*, et Ovidius Am. 1, 14, 6: *erant tenues* (capilli) — *vela colorati qualia Seres habent*.

Hi sunt loci, quibus, quae ab Augustani aevi scriptoribus de Serico opere facta est mentio, continetur. Ex ea vero mentione non modo utrum mulieres an viri sint Sericis vestibus usi non perspicitur, sed ne illud quidem existit, ut vestes Romani ex lana Serica fecerint. Itaque plane subitus nobis et improvisus non ulterius quam in tertium Tiberiani principatus annum descendentibus hic a Tacito affertur nuntius: *decretum* (a senatu) — *ne vestis Serica viros foedaret* [52]). (Ann. 2, 33) Duas hoc decreto res edocemur, viros tum Sericis uti solitos esse, et, quod in foedandi verbo inest, Serica fuisse mulierum. Iam quum eadem constet tenuissimo filo fuisse, atque ita pellucida, ut induti ea prope nudi comparerent, (Senec. de Benef. 7, 9) non improbabile est, a mulieribus quidem simul atque innotuerint arrepta esse, a viris vero non potuisse diu gestari, quin notam iis censoriam conflarent. Quare mulieres iam Augustano aevo, viros non multo ante decretum illud Sericis vestimentis uti coepisse arbitramur. Atque ut simul de viris post decretum illud degentibus videamus, coniicimus ex iis, quae Suetonius in Caligula c. 52 tradit, decretum illud, postquam per Tiberii principatum valuisset, a Caligula primo neglectum esse. Quem delicatiores post decem etiam lustra imitatos haec mihi verba Quintiliani sonare videntur:

Tam multiplici opere, tam longinquo orbe petitur, ut in publico matrona transluceat.

52) Eandem rem Dio Cassius tradit 57, 15: *ὁ Τιβέριος ἀπεῖπε ἐσθῆτι σηρικῇ μηδένα ἄνδρα χρῆσθαι*, Plinius vero, quem et ipsum tradere putes, ne sericatos quidem commemorat, quamvis in sericatas multum invehatur. Quae Plinii ignoratio sericatorum eo minus nobis visa est tacenda, quum de Cois idem vestibus dicens haec faciat verba: *nec puduit has vestes usurpare etiam viros, levitatem propter aestivam. In tantum a lorica gerenda discessere mores, ut oneri sint etiam vestes. Assyria tamen bombyce adhuc feminis cedimus.* (H. N. 11, 23) Est autem Assyria bombyx tela bombycis Assyrii, duoque Plinius bombycum genera ponit, unum Assyrium, cuius telas mulier Cea, Pamphila, prima in textrinum induxerit, alterum Coum, unde Coa sint.

do tempori, ne hirta toga sit, non Serica; ne intonsum caput, non in gradus atque annulos comtum. (Inst. Or. 12, 10, 47)

Praeter Sericas vestes Numidicas quoque et Arabicas commemoratas inveniebamus. Eas, qualescunque fuerint, (Arabicas autem bombycinas quasdam interpretor ad illud Propertii: *Arabio lucet bombyce puella,* (2, 2, 25) quicum conferatur Plin. H. N. 19, 1: *superior pars Aegypti, in Arabiam vergens, gignit fruticem, quem aliqui gossipion vocant, plures xylon et ideo lina inde facta xylina. Parvus est, similemque barbatae nucis defert fructum, cuius ex interiore bombyce lanugo netur. Nec ulla sunt eis candore mollitiave praeferenda. Vestes inde sacerdotibus Aegypti gratissimae*) Arabicas ergo et Numidicas vestes, quum, quando viri in iis conspici aut coeperint aut soliti sint, aliunde non appareat, ex eo, quod una cum Sericis commemoratae sunt, eodem plane quo illas aevo viris sumptas esse coniicio.

Dicendum est de scaro vivo apposito. Scaros iam ante Caesaris et Pompeii bellum in deliciis coenae a Romanis esse habitos, duo, quod sciam, sunt argumenta, quibus probari posse videatur. Unum continetur his Ennii versibus:

At quid
Scarum praeterii, cerebrum Iovi' paene supremi?
Nestoris ad patriam hic capitur magnusque bonusque;

(Appul. Apol. p. 44 ed. Bipont.) alterum argumentum sunt scari Cilices, a Varrone, ut Gellius 7, 16 tradit, inter aevi sui cupedia nominati. Maximo tamen in honore hic piscis Plinii maioris temporibus erat, perhibente ipso Plinio et 9, 17 et 32, 11 H. N. Iam considerantibus, pisces vivos apponi quantae et qualis sit luxuriae, vix dubium nobis esse poterit, quin scarus tum ipsum vivus apponi sit solitus, quum principatum in piscibus teneret. Quid, quod Seneca philosophus, in sui aevi luxuriam invehens, *in cubili,* inquit, *natant pisces, et sub ipsa mensa capitur, qui statim transferatur in mensam?* (Quaest. Nat. 3, 17) Ceterum, quae poetae sunt verba, *Siculo aequore mersus* quum interpretes non concoxisse videantur, hoc ego iis verbis subesse dico, scarum, ex Siculo mari petitum, in eiusdem maris aqua appositum esse. Quam aequoris *verbi significationem,* qua haustam de aequore aquam significet,

Mart. 13, 79, 1 confirmet: *spirat in advecto, sed iam piger, aequore mullus.*

Phasianarum[53]) notitiam iis Romanis, qui sub initium belli civilis vixerunt, abiudicandam esse, ut praecepimus, mira potest res videri, quum Graecis has aves iam antiquitus notas in coenisque gratas fuisse constet. Sed inducti sumus in illam sententiam eo, quod, quamvis non defuerit prioris aevi scriptoribus Romanis locus et occasio phasianas commemorandi, tamen hae demum post bellum civile commemoratae inveniuntur, ac primum quidem in Caligulae vita Suetoniana c. 22. Quod sic proposuisse satis speramus fore ad hanc nostram caussam obtinendam.

Videmur nobis quam agimus rem eo perduxisse, ut duas esse partes vitiorum in luxuria positorum appareat, unam, et

---

53) De phasianis sic exorsum poetam arbitror:
Ut removent per damna famem! iam Phasidos unda
Orbata est avibus.

Damna existimo ad orbationem pertinere, *removent* autem, quod in uno libro Traguriensi est, idcirco non spernendum duxi, quia renovandae fami nemo apposuerit phasianas. At vero, dicet aliquis, quid est, cur verba *ut renovent per damna famem* non, ut interpretes omnes fecerunt, cum antecedenti sententia coniungantur? In duobus ea res sita est locis. Primum, qui antecedunt versus 33 et 34 et 35 toto quasi vultu absolutum quiddam et pertextum prae se ferunt, ita ut illis verbis adiectis lector non possit non conturbari. Deinde, quum hoc ponitur, *conchylia, ut renovent per damna famem, coenas vel condere vel vendere,* nec, quo *per damna* valeat, elucet, nec ponitur, quod aut ipsum per se, aut intextum queat placere. Per se ipsum non placet, quia sententiae quadam sive obscuritate sive informitate laborat, intextum vero, quia nihil prorsus habet, quod ingeniosam gulam referat. — Sed ne quid deesse huic disputationi videatur, dicimus in eo versu, quo de ingeniosa gula narrationem terminatam volumus, non *condunt,* sed *vendunt* scribendum esse. Hoc enim verbo ad illud Iuvenalis *purpura vendit causidicum, vendunt amethystina* (7, 135) interpretato eam effici sententiam putamus, quam ingeniosae gulae, quae voraci hic opponitur, professio sibi postulat: *nullo in pretio esse coenas, quae sine conchyliis Lucrinis sint. Condunt* vero, quod interpretes voluerunt pro *finiunt* dictum, ita ut extremis conchylia coenis apposita perhiberentur, nihil hic aliud significaret, quam coenas totas ex conchyliis constitisse. Quod ut improbabile est poetae placuisse, sic verbum ipsum, si in uno alterove codice extet, librario, cuius animo sequens verbum conchyliorum obversatum sit, deberi apparet.

quidem maiorem, quae ad antecedens bello civili aevum referri possit, alteram, quae non possit, sed recentiorum multo temporum censenda sit. Iam maiorem harum partium, ut ad antecedens bello civili aevum, item ad sequentia referri posse tempora dicimus. Quod qui probatum volet, inspiciat de mensis citreis Plin. H. N. 13, 15 et Mart. 9, 60, 10., 14, 89 et 138, de exsectis pueris Suet. Domit. 7, cum quo loco Mart. 6, 2 et Stat. Silv. 3, 4, 73—77 conferenda sunt, de supellectile Corinthia Suet. Tib. 34, Senec. de brevit. vitae 12, Mart. 9, 60, 11., Plin. Epist. 3, 1, de venationibus Circensibus Suet. Calig. 18, Claud. 21, Neron. 11 et 12, Domit. 4, de conchyliis Lucrinis Hor. Epod. 2, 49, Mart. 6, 11, 5., 12, 48, 4., 13, 82. Ac, nisi me fallit iudicium, de exsectis pueris ita memoratum est, ut memoria ea non tantum possit ad tempora, quae post bellum civile erant, referri, sed debeat. Taceo quod puerorum castrationes iam ante bellum civile Romae frequentatas esse non satis constat: quid vero, si ita poeta dicens: *exsectaque viscera ferro in Venerem fregere*, Neronis illud facinus, quo „exsectum puerum Sporum *etiam in muliebrem naturam transfigurare* conatus" a Suetonio c. 28 traditur, respexerit? Quam rem examinandam iis proponimus, qui, supra nobis in annotatione 31 illa poetae verba difficultatis cuiusdam arguentibus assensi, eius difficultatis removendae factum qualecunque periculum non despecturi sint.

Haec fere sunt, quae de aetatibus luxuriae vitiorum dicere habuimus. Ea, si recte habent, ut arbitramur, poema vix dubitandum est quin a satira incipiat. Quum enim omnia illa vitia ad insecuta bellum civile tempora referri liceat, partem vero etiam necesse sit, ante oculos est, poetam magis morum emendandorum, quam praestandae fidei historicae studiosum, sui quae fuissent aevi[54]) vitia pro priscis usurpasse. Quod statuentes ne falsi simus eo minus veremur, quum eam idem animi commotionem in narrando prae se ferat, quae ex prae-

---

[54]) *Sui aevi* diximus, non quia exploratum esset de aevo poetae, sed quia, quae vitia ab antecedenti bellum civile aevo repperimus aliena, ea poetae esse aevi censemus, ita ut in explorando aevo poetae magnus horum vitiorum esse possit usus. Quem nos usum, quum res feret, non omittemus.

sentis potius mali dolore, quam ex memoria praeteriti videatur nata. Ceterum hoc velim advertas, posse, quum ethicis poetam rationibus duci ex sententia, qua poema superstructum diximus, eluceat, illam sententiam huic satirae, hanc satiram vero illi sententiae pro columine esse.

§. 16.

Poema ipsum ex se considerantes quae adhuc disputavimus, etsi eorum haud exigua pars ad formam poematis pertinet, tamen praecipua nostra cura in argumento cognoscendo erat posita. Nunc sola de forma dicemus. Verum quum multiplex sit de forma cuiusvis poematis quaestio, non omnia, quae debeamus aut possimus, hic proferre constituimus, sed unum quiddam, quod in narrandi ratione a poeta adhibita plane singulare et unicum observasse nobis videmur.

Igitur supra, quum in adumbrando poemate occupati essemus, vidimus poetam, postquam de luxuria et avaritia inopiaque dixerit, Ditem, ab inferis excitatum, cum Fortuna colloquentem facere. Agebat autem Dis id, ut Fortunam Romanis tum propitiam instigaret in illos, Fortuna vero, se instigari passa, bellum civile Romanis decernebat. Quo decreto et fulminibus a Iove missis[55]), Dis in Orcum redibat.

Hoc commentum poetae quo valeat inquirenti primum hoc occurrat, bellum civile ad auctorem Fortunam referri. Quaerendum est igitur, quum supra iam sit de caussis belli illius explicitum, quae inter superiores caussas et hanc novam intercedat ratio. Hic si quis putet, Fortunae decretum eam perhibitam esse caussam, quae ad superiores caussas socia accederet, omnia sibi adversantia habebit. Primum enim illae et haec inexuperabili prorsus limite inter se disiunctae comparent. An inde a versu sexagesimo septimo lector proficiscens non rem potius, quam partem rei novam traditum iri existimabit?

---

55) Non etiam tonitribus editis? — Acutiores me videant, utrum, advocata annotatione mea 7 extrema, ad tonitrus referendum sit *intremuit nubes*, (v. 123) an ita interpretandum, ut tremulis flammis stetisse nubes dicatur.

Non illi versus, 58 et 59 et 60, narrationi sunt concludendae? Deinde superiores caussas poeta ita instruxit, ut ipsae per se, nulla alia accedente, bellum commovere possent: qua de re multis §. 13 diximus. Denique quum Fortuna caussa alicuius rei declaratur, nullus locus est aliis caussis. Fortuna enim, qua natura est, aut non est caussa, aut sola. Vis illam naturam explicem? Inspice dum versum 79; anquire, cur Dis per Fortunam agat; adverte ipsam Fortunam loquentem[56]); vide Iovem summum, ut properet decreta Fortunae confirmare. His viis quum naturam Fortunae assecutus eris, habe tum ipsam, si poteris, pro caussarum quadam appendicula.

Statues iam — sed praestat, omissis his disputandi ambagibus, ipsi de Fortuna inducta quid statuamus proferre. Igitur sic statuimus, Fortunam cum superioribus caussis conciliari nec posse, nec poetam voluisse, quippe qui fecerit quidem Fortunam caussam, sed ita, ut non fecerit. Brevius nunc locuti sumus et involutius: aperiundo rem haec sunto. Fortuna non sua sponte bellum civile decernit, sed impulsa a Dite[57]). Dis vero quare tantopere Romanis irascitur? Quia luxu eorum offensus est. Quid, quod etiam Fortuna illud se vitium indignari fatetur? — Nae potest nihil clarius esse, quam repeti hic bellum civile a luxu. Iam unde supra repetebatur? Meminimus, ab eodem luxu. Quid igitur inter hanc et illam poematis partem interest? Illic per avaritiam, hic per Ditem et Fortunam bellum civile a luxu repetitur. En discrimen ad formam narrationis pertinens! Ac per avaritiam et inopiam bellum aliquod a luxu duci, ut veri similitudinem habet, ita per Ditem et Fortunam duci manifestum est fabulam prae se ferre. Viden', ut poeta Fortunam caussam belli civilis faciens non faciat?

---

56) De Fortuna qualis sit non considerans Antonius v. 105 hoc recepit: *Vota mihi cedent*, quo Fortunam liquet ex Dite pendentem poni. Scribendum est *tibi*, praeter alios Bernensi quoque codice adstipulante.

57) Quaeri videtur posse, ad civilene bellum, an universe ad bellum Dis Fortunam impellat. Censemus ad civile bellum, quum propter alias res, *tum colligentes ex* ratione, qua ille Sullanae stragis meminit.

Speramus nos effecisse, ut duplici poetam ratione de caussis belli civilis exposuisse appareat, fabulosa una, altera, quam dicas historicam. Iam defendimus, eandem expositionis duplicitatem in narratione de initiis belli civilis inesse, ita ut historica expositio versibus his centum et undeviginti, 126—244, reliquis fabulosa contineatur. Iis igitur versibus, qui inde a 245 leguntur, easdem res, quae antecedentibus illis expositae sint, iterum, sed alia exponi ratione dicimus. Quod cognituros ab extrema Discordiae oratione proficisci iuvabit. Nam quum ibi Discordia, quae cohortabunda stat, Pompeium, quamquam narratus est fugisse, tamen ad fugam cohortetur, in oculos incurrit, sub cohortatione hac fieri non posse quin aliud quid subsit, quam quod verba sonant. Instituit autem poeta, ut quae oborientis belli civilis fuissent, ea Discordiae oratione tamquam linea margaritas exhiberet. Quemadmodum igitur Pompeium a Discordia ad fugam cohortatum faciens, nihil secutus est aliud, nisi ut fugisse Pompeium narraret, sic ceteris cohortationibus Discordiae alias belli civilis res narratas voluit. Quas res quum dicamus iterum narrari, quemadmodum fugam Pompeii iterum narratam modo cognovimus, [58]) necesse erit, ceteras quoque cohortationes Discordiae in rebus versari iis probemus, de quibus poeta supra suo nomine memoraverit. Adhibet ergo Caesari hanc Discordia cohortationem:

Quid porro tu, Dive [59]), *tuis cunctaris in armis?*
Non frangis portas? non muris oppida solvis, 291
Thesaurosque rapis? [60]).

Hanc cohortationem volo permutes narratione: efficies duo Caesarem fecisse, et properasse arma civilia, et oppida ce-

---

58) Non plus quam fugam Pompeii Discordiam hic loqui in postrema parte §. 10 demonstravimus.

59) Scaliger et alii, quoniam de vivo memoretur Caesare, *Die* scriptum voluerunt. Nos, codicibus ita iubentibus, eandem hic negligentiam statuimus, qua in Amphitruone Plautina commissum est, ut per Herculem iuretur.

60) Thesauros interpretes aerarium urbis intellexerunt: debebant, praesertim quum *que* extet scriptum, non *ve*, oppidorum thesauros cogitare, reputantes, *quanta poetis* esset potestas audendi.

pisse. Atqui de properatione Caesaris et maturatione in suscipiendo bello civili quis non largietur iam supra dictum esse illis verbis:

Exuit omnes
142 *Quippe moras Caesar, vindictaeque actus amore*
Gallica proiecit, civilia sustulit arma.

Adde sis 183 et 184 vv. [61]) Oppida vero Caesarem, bellum civile ineuntem, cepisse, id plane quidem et aperte, nisi in cohortatione Discordiae, nusquam narrari dicimus, involutum tamen ita in quodam loco inesse, ut solam per Discordiam narratum deputari nequeat. Is locus est ille, quo Caesar ex Alpibus descendere traditur. Quum enim Pompeium, quem historia testis est post occupata a Caesare plura oppida fugisse, poeta a descensione illa Romam perlata fugisse dicat, non dubitamus, quin, historici diligentiam aversans, una descensionis narratione occupationem oppidorum comprehensam voluerit. Accedit, quod descendisse Caesarem ex Alpibus, nisi descensioni ei oppidorum illa occupatio subiicitur, nihil quidquam ad bellum civile pertinet. Quibus duabus de caussis poetam arbitramur narrare illic nihil quidem aliud, nisi descensionem Caesaris ex Alpibus [62]), sed narrare eum in finem, ut Auximum usque Caesarem ex Alpibus per Ariminum, Pisaurum, Fanum, Anconam progressum lector animo concipiat. Quod quo citius concipiatur ipse providit versu 174. An quod ibi Caesar in summa constitutus Alpe dicit: *iudice Fortuna cadat alea*, non id ad Rubiconem vel nolentes nos rapit? — Supersunt, de quibus disseratur, hae cohortationes Discordiae:

288 *Tu legem Marcelle tene, tu concute plebem*
Curio, tu fortem neu supprime Lentule Martem.

Has cohortationes interpretes ad acta publica examinantes quid effecerint, ex ipsorum commentariis petatur: nos de facto

---

[61]) *Fortior ominibus movit Mavortia signa*
Caesar, et insolito gressu prior occupat ausus.
Sic scriptus locus corruptus satis bene, ut nunc sunt res, se habet.

[62]) Repudiamus igitur Bouhieri interpretationem, qua 209 versum, *dum Caesar tumidas* (vel, ut ipse perperam scripsit, *timidas*) *iratus deprimit arces*, in occupata a Caesare post Rubiconem transissum oppida, praecipue

cum maximis turbis Senatusconsulto illo, quo Caesari provincia adempta est, memorari hic opinamur. Nam constat illud SC., posteaquam anno 704 a M. Claudio Marcello cos. temptatum esset, proximo anno, quo ipso anno Caesar Rubiconem transiit, a C. Marcello et L. Cornelio Lentulo coss., multum tribunis pl., praecipue C. Curione, renitentibus, tandem perscriptum esse. Memorari vero de SC. illo hic primum eo confidentius negamus, quum, quam superiorum versuum quidam (156—176) exhibent, orationem Caesaris luce clarius sit totam ex eo pendere. Quam orationem pro prima et historica SC. illius memoratione, Discordiae vero distichon pro altera et fabulosa habemus.

Vidimus, quam ob rem poeta Discordiam induxerit. Praeter Discordiam qui inductus suppetit chorus Orcinus[63]), de eo nihil necesse est multis dicatur. Quum is enim in locum pacificorum numinum, quae aufugerint ex terra, successisse narretur, manifestum est eum idcirco inductum esse, ut exortum bellum significaret. Unde totam hanc poematis partem his duabus in rebus constare efficitur: primum universe dicitur, esse aliquod bellum exortum, deinde quale id bellum fuerit, quaeque habuerit initia, per Discordiam explicatur.

Haec nostra est de adhibita a poeta narrandi ratione sententia. Quam sententiam qui inspexerit, sive est impugnaturus nos, sive accuratius doceri volet, utrobique quaeret, et cur eandem poeta rem narraverit bis[64]), et cur duplicem hanc

---

Corfinium, traxit. Verum quae adversentur huic interpretationi nunc impraesentiarum non vacat explicare; interim consulatur Suringar, qui, quattuor contra Bouhierum proferens argumenta, (p. X) unum certe, quod postremo loco protulit, idoneum protulisse videatur.

63) In eo choro dicuntur esse *Letumque Insidiaeque et lurida Mortis imago.* (v. 257) Offenderunt quidam interpretes in Leto et Morte ut diversis inter se personis inductis. Recte. Sed iidem quae fecerunt emendandi pericula, *(Fletusque Insidiaeque* Bouhierus, Io. Schraderus *Luctus Insidiaeque)* ea minus probo, ratus equidem ad Virg. Aen. 7, 326 sic scribendum: *Iraeque Insidiaeque.* Cf. Sil. 4, 439, ubi Mars exercitu Irarum Eumenidibusque et innumeris leti cruenti faciebus comitatus ponitur.

64) An bis eandem rem uno loco narrari non contra artis esse leges *videtur? non factum* erit, ut, qui praefationem huic poemati adiectam legit

narrationem ita composuerit, ut non iterare, sed producere narrationem videretur [65]). Graves mehercule quaestiones, et quae recta nos ad Pharsaliam Lucani et hoc poema inter se comparanda transferant. Sed haec comparatio quum non tantum ipsa per se sit longissima, sed etiam haec tria sibi subiecta habeat,

primum, *ut Petronii poema contra Pharsaliam Lucani scriptum doceatur,*

alterum, *ut eo scriptum tempore demonstretur, quo tres primi libri Pharsaliae innotescere coeperint,*

tertium, *ut a Tacitino illo Petronio* (v. Ann. 16, 18 et 19) *scriptum probetur:*

quum igitur quaestionum illarum tam ampla appendix sit, ipsas ad alterum quendam librum, eum, qui appendice hac contineatur, reservare, quam nunc perfunctorie tractare maluimus. Itaque relinquemus disputationem, simul ut quiddam, quod non evagatis extra limites nostros addere nobis liceat, addiderimus. Id hoc est.

Discordiae orationem qui excipit, ultimum huius poematis versum, *Factum est in terris quidquid Discordia iussit*, Nic. Heinsius spurium censet et *carmini mutilato tibicinem ab homine semilitterato additum.* Nae ille, si usquam, hac in re verum pervidit, etsi rationibus non confirmavit. Cuius nos opellae pretia merituri non faciendum nobis putavimus, ut ce-

---

set, nihil is aliud, nisi talem narrationem, qualis fabulosarum poematis partium est, expectaret? Praecipitur enim in illa praefatione extrema hoc: *per ambages deorumque ministeria et fabulosum sententiarum tormentum praecipitandus est liber spiritus.*

65) Est sane, ut caussarum belli civilis prior narratio, (vv. 1—60) quam historicam diximus, a posteriore seu fabulosa (vv. 67—125) sit seclusa, verum initia belli, quo loco incipiunt fabulose narrari, ibi provehi potius ad aliud momentum, quam iterum narrari putentur. Comparet enim pacificorum numinum fuga tam arte cum Pompeii fuga, in quam historica belli ineuntis narratio desinit, copulata, ut, si non propter hanc fugam, certe post eam numina illa fugisse opinere. Ac videri possit poeta, quum hoc secutus sit, ut argumentum suum duplici modo tractaret, duo debuisse ex hoc uno facere poemata, ita ut, quod paucis verbis mutatis fieri potuit, vv. 1—60 et 126—244 in historicum poema, vv. 67—125 et 245—295 in fabulosum committeret.

dicem Tragur. appellaremus. Is enim licet talem hunc versum offerat, qui suspicionem illam ipso quasi vultu videri possit recipere, tamen, quod Iustitia tenet Discordiae locum, id librario malumus dormitanti tribuere, quam inde quidquam nobis arcessere auxilii. Neque egemus quidem auxiliis extrinsecus petitis. An poetam adeo sui oblitum esse credibile sit, ut versu poema finiret, qui illius a ratione prorsus abhorreret? At Antonius *equidem putem*, inquit, *hoc carmen non meliorem exitum posse habere; indicari enim debebat*, *quid factum esset*, *idque poeta paucis expressit*, *quia historicus nolebat videri.* — Ecce eodem Antonius errore lapsus, quo captum dicas, qui versum hunc assuit. Ante oculos est enim non potuisse hunc versum addi, nisi ab eo, qui cohortationes Discordiae veras esse cohortationes opinaretur. Quam opinionem quum proximis paginis viderimus prorsus falsam esse, quomodo qui ex ea pendeat versus stabit? Apparet autem ultimo huius poematis versu artificium illud poetae, quo ipsas Discordiae cohortationes pro rerum gestarum narratione esse voluit, totum everti, Discordiamque in caussis belli civilis poni.

Iam vero sic reserato poematis quasi postico, locus se nobis offert, qui septem illis versibus, quos §. 8 sede orbabamus, assignandus esse videatur. Quando enim, quaeso, potius dii perhibeantur in partes esse abstracti, quam quum, quas sequerentur, partes extitisse narratae sint? Ac nescio an sit, ut versuum illorum non solum, quam diximus, sententia, sed etiam verba quaedam ex Discordiae oratione pendeant, ita ut ipsos post orationem eam primitus collocatos fuisse omnem excedat disceptationem. Certe quod *excepisse* illic dii Pompeium dicuntur, id nullus ego dubitem, ad fugam Pompeii a Discordia modo significatam referre. An socia coelitum corona stipatum veri sit simile despondisse? Deinde vero ex interpretibus nonne doctissimus quisque de enuntiato *primumque Dione Caesaris acta sui ducit*, quid faceret se ignorare confessus est? Quippe. Nam Dionae qui potuisset attribui, quod ne cui, neque homini, neque deo attribuatur, sana vetat ratio, *praesentem praeteritis* adesse? Taceo nunc *coniecturas*, *quibus acta* illi, verbum non inquietandum, ag

gressi sunt. Quarum quae Passeratii est, *arma* intentantis, etsi maxime quo blandiatur habet, tamen orationis ea est conformatio, ut deos auctor rebus humanis nihil iam aliud quam accedere, necdum illas quidquam inde promotas videatur voluisse. Quocirca nos labem poetae ex scribendi quodam compendio, ut suspicamur, aspersam sic eluendam censemus:

primumque Dionen
Caesaris acta sui ducunt.

Ducunt vero. *Namque omnis regia coeli in partes diducta ruit.* (v. 266) Neque omittendum quod Tacitus dixit Ann. 15, 51: *accingeretur modo navare operam, et militum acerrimos ducere in partes.* Iam vero vide, quam nostram nos caussam constituerimus hoc molimento. Nam Caesaris illa acta quae sunt? Credo, quae egit usque in fugam Pompeii; quae agere eum Discordia est cohortata; quae cohortatione illa scriptor voluit narrata, tum tamquam narrata respectare potuit.

VITA.

Natus sum *Iustinus Gumal Moessler* anno huius saeculi tertio decimo, die XVI m. April., *Malitzschkendorfi*, in pago tum Saxonico et Wittembergensi, nunc Borussico regionis Merseburgensis, Schweinitiensis vero agri, patre *Christophoro Guilelmo*, Verbi Divini ministro, matre *Amalia* e gente *Antonia*. Iis doctrinis, quibus puerilis aetas impertiri solet, pater me erudivit, ne tum quidem non praesentissimus mihi studiorum moderator, quum, septenni me puero a pagana ecclesia ad oppidanam vocatus *Gorlitiensem* in Lusaticam terram, gymnasii, quod in ipso Gorlitio est, me disciplinae tradidisset. Degi autem gymnasii huius alumnus septem continuos annos, *Roesslero*, *Mauermanno*, *Cunertho*, *Struvio*, et, qui avunculi quoque nomine mihi venerandus est, rectore gymnasii *Antonio* deinceps utens magistris. Quorum institutionibus effectum est, ut, quamquam cum valitudine adversa multum mihi confligendum fuerat, tamen vix pueritiam egressus maturus academicis scholis iudicarer. Dimissus itaque medio vere anni MDCCCXXX in academiam *Viadrinam* ad theologiae me studium contuli. Eo in studio ita versabar, ut, quas doctores summe reverendi *Schulz*, *a Coelln*, *Middeldorpf*, *Boehmer* de alia alius parte theologiae offerebant scholas, has quidem omnes grata mente acciperem, sed praecipue in Veteris et Novi Testamenti libros incumberem. Quorum librorum penitus cognoscendorum studiosus quum Semiticas linguas addiscerem, partim ipse per me, partim duce *Bernsteinio*, viro summe reverendo, tum seminarii theologici exercitationes eas, quas *Middeldorpf* et *Schulz* moderabantur, obii. Sed has res agens et, qua sum mediocritate ingenii, totus iis occupatu

tamen non faciendum putavi, ut quae universe formando sunt animo litteras omnino negligerem. Itaque expatiabar subinde ex theologiae finibus in philosophorum excellentissimorum scholas, et quidem in philosophicas *Elvenichii*, *Rohovskyi*, *Steffensii*, *Thilonis*, in philologicas *Passovii*, *Schneideri*, *Wellaueri*, in historicas *Stenzelii* et *Wachleri*. Sic transactis septem semestribus Gorlitium reverti in paternam domum eo consilio, ut theologicis me examinibus pararem. At aliter evenit. Nam, morbo mox implicitus longinquo, dum aegroto et curor, mutatum est mihi vitae propositum, maluique quam in luce ecclesiae in umbra scholae aliquando degere. Sed idem volens Graecarum mereri et Latinarum magister litterarum sic existimavi, esse mihi academiam repetendam, ubi philologiae studerem. Itaque commodiorem vix adeptus valitudinem anno MDCCCXXXV mense Octobri Vratislaviam remigravi, invitantibus quum aliis rebus, tum *Schneiderianae* disciplinae memoria. Iam iterum in civitatem academicam adscriptus ante omnia hoc secutus sum, ut in seminarium philologicum reciperer. Quo impetrato studia mea sic disposui, primam operam dabam seminario et quas seminarii rectores amplissimi *Schneider* et *Ritschl* praeterea habebant scholis philologicis, alteram quandam dabam promiscue his viris excellentissimis: *Thiloni* et *Branissio* de philosophia, *Hoffmanno* de Germanicis litteris, *Ambroschio* et *Kutzenio* de historia antiqua explicantibus. Haec per tres et dimidium annum agebam usque ad mensem Martium anni MDCCCXXXVIIII; inde a quo tempore in commentatione hac de Petronii poemate de bello civili conscribenda occupatus fui, principio quidem in ipsa Vratislavia, urbe litteratissima, deinde, valitudine labante, Gorlitii apud parentes. Allexerat me autem Petroniana caussa quum difficultate sua, quam uno omnes ore consentiunt plane singularem esse, tum praecipue eo, quod actorem olim nacta erat avum meum *Conradum Gottlobum Antonium*, professorem Wittembergensem.

Theses controversae.

I. Petron. c. 55 §. 6 qui extant versus Publii cuiusdam mimographi illius sunt.

II. Ibidem v. 1 *Luxuriae ab ictu* scribendum est.

III. *Λεωργός* non a *λαός*, sed a *λεία* est.

IIII. Latine scribendi hodieque magna utilitas est.

V. Eurip. Alcest. v. 888 (ed. Herm.) sic supple: *πρόσωπον, πάραντα λυπρόν.*